



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Polemica

Burghaber, Adam

Fribvrgi Helvetiorvm, 1678

Principia Bonorum Operum id est Libertas Et Gratia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)

PRINCIPIA BONORUM OPERUM

ID EST

LIBERTAS ET GRATIA.

IDES Romano-Catholica, circa quam versamur defendendam, non sufficit sola ad vitam aeternam, ut in progressu patebit, sed insuper bona opera requirit. Ut igitur illius efficacia appareat, de his nunc agendum, atque imprimis statuendum de istorum Operum principijs Libero scilicet Arbitrio & Gratia tam Actuali, qua concurret effectivè ad illa, quam habituali, qua dignificat eadem, ut vitam aeternam mereantur. Et quia bona opera ad hominum justificationem comparandam: & ad aeternam DEI ordinationem circa justificationem implendam tendunt, de hac quoque Justificatione & Prædestinatione tractandum; cum heretici circa utramque, nec pauca, nec levia moveant. Sit igitur iuxta ceptum jam numerum.

CONTROVERS. XLVI.

DE VOLUNTATE HUMANA seu Libero Arbitrio.

Libertatem rectè dixeris Basin Humanarum Actionum, seu latè seu vituperio dignarum. Unde DEUS ab initio constituit hominem: & reliquit eum in manu consilij sui Ecclesiast. 15. v. 4. Prius ergo, quam ad Gratiàm accedamus, de hac inquirendum.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

Libertatè variè sumitur 1. latè, prout idem est ac non coactio. 2. accipitur, prout opponitur servituti. 3. & propriè libertas opponitur necessitati, dicunturque verè liberi, qui ad opus aliquod non necessitantur physicè, ut ex communi D.D. Catholicorum sensu ostendit Cardin. Bellarm. L. 3. de Grat. & Lib. Arb. c. 5. ubi c. 7. varias etiam opiniones refert circa explicationem Liberi arbitrij. Hoc promisso.

I. Doctrina prima. Liberum Arbitrium est Voluntas indifferens ad agendum, & à se ipsa determinabilis, in quam partem libuerit. Seu est potentia ad actus oppositos & impossibiles, non quidem in sensu composito sibi conjungendos, sed in sensu diviso, hoc est, quæ ex actibus oppositis quemlibet, excluso altero, sibi conjungere potest; ac proinde, quæ vel ex naturâ suâ, vel à causa sunt ad unam partem objecti ita determinata, ut non possint se in oppositum flectere,

libera non sunt. Hinc ex communi Doctrina quos fusè adducit P. Didacus Ruiz D. 50. de Scient. Dei. Sect. 4. Liberum arbitrium, seu libertas, in actu primo definitur: potentia, quæ postis omnibus ad agendum requisitis, potest agere, vel non agere. Unde faciè apparet, Libertatem in actu secundo esse actionem seu actum voluntatis, qui ita est, ut potuerit non esse. Requisita autem illa sunt, quæ pro priori naturæ antecedunt operationem, nimirum cognitio indifferens, & paratus Dei concursus per decretum indifferens alibi explicari solitum; quod si verò actus Supernaturalis eliciatur, habitus etiam supernaturalis præintelligitur, exceptis certis casibus, requiritur enim carentia impedimentorum. Ex verbis istis: potest agere, vel non agere, triplex infertur libertas.

1. Contradictionis, quæ est indifferentia ad agendum vel omittendum v. g. in mensa non fuit alius potus, quam vini, potes bibere vel obstinere. 2. Specificationis, quæ est indifferentia voluntatis ad hoc vel illud agendum ex objectis specie distinctis, sed non contrarijs: v. g. si in mensâ apponantur diversæ speciei potus vinum, cerevisia, aqua, potest vel vinum, vel cerevisiam, vel aquam bibere, quod ex ijs malueris. 3. Contrarietatis, quæ est indifferentia ad unum ex duobus contrarijs v. g. si in mensâ perponuntur vinum & venenum, potes alterutrum bibere, & sic vitam servare vel perdere, quæ sunt contraria. Idem accidit in moralibus, & electione status. Triplex hæc libertas subdividitur in Directam & Reflexam; illa est respectu objecti: hæc respectu actus, qui tendit in objectum. Rursum alia libertas est Remota, alia Proxima; illa dicit ipsam potentiam liberæ entitatem: hæc vero præter illam dicit prærequisitas paulò ante conditiones, è quibus cognitio ad libertatem contrarietatis repræsentare debet rationem boni & mali: ad libertatem verò contradictionis sufficit propositio boni, finiti tamen in objecto.

II. Doctrina Secunda. Homines habent liberum arbitrium. Ita omnes Catholici & definitur in Concil. Tridentino Sess. 6. Con 5. his verbis. si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum deniq. à Satana inventum, in Ecclesiam, anathema sit. Probat 1. ex S. Script. utriusque Testamenti, quæ liberam electionem inter bonum & malum homini concedit. In vet. Testam. Genes. 4. v. 7. sub te erit appetitus ejus (scilicet peccati.) & tu dominaberis illius. Ergo potest illum sequi, vel non sequendo reniti, quæ est libertas. Ecclesiast. 15. v. 18. apposui tibi aquam & ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi. Ibidem. c. 31. v. 19. beatus

vir, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit. Potestne certius aut clarius exprimi, aut magis conspicuè depingi liberum hominis arbitrium? In novo Testam. habemus S. Paulum Doctorem Gentium. 1. ad Corinth. 7. v. 37. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens sua voluntatis. Et ad Philemonem. v. 14. Sine consilio autem tuo nihil volui facere, ut ne veluti ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.

III. Probatur 2. Ex concordia Patrum assertione, quorum testimonia ordine refert Jacobus Gualterus in sua Chronologia à Christo nato hucusque per singula sæcula sub titulo 4. veritatis. 1. Jgitur Sæculo Clemens Romanus. epist. 3. sic scribit. *Liberum est animo, in quam velit partem declinare iudicium suum, & quam probaverit eligere viam; unde constat evidentur, inesse hominibus arbitrij libertatem.* 2. Sæculo S. Iustinus Martyr. Apolog. 2. ad Antoninum Imperat. ait genus humanum libero arbitrio liberaq; voluntate & rectè facere & peccare docemus. 3. Sæculo S. Cyprianus in epist. ad Cornel. hæc habet, *homo libertati sua relicto, & in arbitrio suo constitutus sibi ipse vel mortem appetit vel salutem.* 4. Sæculo S. Hieronymus L. 2. contra Jovinianum, liberi arbitrij, ait, *nos condidit Deus, nec ad virtutes nec ad vitia trahimur.* 5. Sæculo S. Augustinus L. 2. de libero arbit. habemus, inquit, *liberum arbitrium voluntatis, & non nisi in eo peccamus.* 6. Sæculo S. Gregor. L. 13. moral. c. 6. ad perpetrandum malum ex libero arbitrio ducimur. 7. Sæculo S. Isidorus L. 2. sentent. c. 2. *homo libero arbitrio conditus sua sponte diverit à Deo.* 8. Sæculo S. Joan. Damascenus L. 2. de fide orthodoxa. c. 25. scribit, *hominem esse principium suorum operum, & potestate arbitrioq; liberum.* atque sic in cæteris sæculis doctissimorum hominum testimonia proferri possent. Videatur cit. Auctor. Card. Bellarminus hic L. 5. a. cap. 13 & alij.

IV. Quia verò Jansenius Episcop. Iprensis cum suis errorem suum tegere nititur Auctoritate S. Augustini, hæc illi non solum eripienda, sed etiam oppugnanda erit alijs insuper testimonijs ex eodem S. Patre adductis. Itaque L. de duobus animab. c. 12. sic habet *quam ob rem ille anime, quidquid faciunt, si natura non voluntate faciunt, id est, si libero ad faciendum & ad non faciendum motu animi carent, si deniq; ijs abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccato eorum teneri non possunt.* L. 3. de libero arbit. c. 1. si, inquit, *natura aut necessitate motus existit, culpabilis esse nullo modo potest.* L. 12. de civit. c. 6. sic discurret, loquens de duobus habentibus eandem profus corporis & animi dispositiones, si unus tentationi cedat atq; consentiat, alter idem, qui fuerat, perseverat, quid apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse à castitate descivisse, unde? nisi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroq; corporis & animi affectio? Hæc aliaque testimonia, quamvis per se clarissima vobis accipiunt ex omnibus disputationibus, quas S. August. adversus Pelagianos instituit. Pelagius enim ex Libertate indifferentiæ in observatione præceptorum, inferebat, posse hominem sine gratia divinâ proprijs naturæ vicibus servare præcepta, & per consequens suppositâ saltem promissione consequi æternam vitam. Hunc errorem acerrimè impugnavit S. Augustinus, nunquam tamen in suis oppugnationibus aut responsionibus negavit fundamentum à Pelagio assumptum, ni-

mirum libertatem indifferentiæ, sed, semper negavit consequentiam, ostendens cum libertate indifferentiæ stare necessitatem gratiæ; debuisse autem S. Pater negare Antecedens, si à Pelagianis dissensisset in conceptu libertatis, & non agnovisset libertatem indifferentiæ. Minor huius discursus probatur ex L. 2. de nupt. & concupisc. c. 5. ubi respondens Juliano Pelagiano, qui obiecit, illos qui requirunt gratiam, negare liberum arbitrium. *Non est ut inquit ut loquens, quacumq; ista dixisti, non est ita, multum fallere vel fallere meditari, non liberum negamus arbitrium; qui si à Juliano discrepant in acceptione liberi arbitrij, respondere, utique debuisse, se negare quidem libertatem indifferentiæ, sed cognoscere libertatem à coactione, & non debuisse absolute admittere liberum arbitrium, probè gnarus, quo sensu adversarius illud acciperet.*

V. Probatur 3. Ratione, & quidem à priori ex natura intellectus. Nam si intellectus varia simul objecta indifferenter proponit, aut unum idemque sub diversis rationibus boni & mali, consequenter etiam voluntas indifferens esse debet ad eligendum, alioquin frustranea esset illa indifferens objectorum propositio, perinde ac si varias vias alicui monstrares v.g. per tertiam & quartam, qui non posset per aërem ingredi, inutilis esset demonstratio, sed intellectus indifferenter proponit objecta, ut constat quotidianâ experientiâ, ideo quippe varias vias alicui monstrares, inutiles esset eligere velimus. Deliberamus, hæsitamus, quidnam eligere velimus. Ergo etiam voluntas est indifferens; alioquin propositio intellectus potius foret illusio, quam beneficium Dei ostendentis varia bona, quæ non possent apprehendi, perinde ac si apponerentur multa ferula, quibus tamen vesci non liceret. Dicit Guilielmus Amesius Tom. 4. L. 4. n. 4. hinc falsum reddi id, quod statim ab initio diximus, ad liberum arbitrium requiri libertatem ab omni omnino necessitate. Respon. Negando illatum. Nam hæc posterior dependentia non infert ullam necessitatem determinatamque dependentiam ab hoc singulari iudicio; siquidem liberum est voluntati, ex ut oppositis varijs rationibus non necessitantibus (quales sunt omnes circa omnia bona particularia extra Deum clarè visum) sinat se pro libito moveri vel ab hac, vel ab illa. Aliud est de imperio seu iudicio partitico, quod teste Suarez. D. 19. metaph. Sect. 6 ad omnem actum voluntatis prærequirunt Thomistæ; Nam hoc imperioposito nulla relinquitur indifferentia in voluntate, cum sit talis naturæ, ut non possit non coniungi cum actu, uti ex ipsis Adversarijs fateatur Bartholomæus Medina 1. 2. q. 9. a. 1. dub. 2. Videatur Cardinal. Pallavicinus in 1. 2. D. Thom. q. 2. a. 5. ubi eruditè ostendit, voluntatem posse operari contra id, quod ex parte intellectus etiam ut melius illi repræsentatur.

VI. Confirmatur igitur tertia nostra probatio, & tota doctrina argumento à posteriori. Quia ex negatione liberi arbitrij magna sequuntur absurda contra Deum æque ac homines. Contra Deum quidem, quia eius Sapientia & Iustitia negatur. Nam si voluntas humana non est libera, sed fatali necessitate ad unum determinata, frustra Deus monet, jubet, consulit, &c. ac si furdoloqueretur, quod est insipientiæ; nec delinquentes iuste puniret ob peccata, quæ non possunt vitari, quod est iniustitiæ. Unde S. Augustinus

Augustinus L. 5. de civit. c. 11. ait, *quis non clamat, stultum esse, dare precepta ei, cui liberum non est, quod precipitur, facere: & inquam esse, eum punire, cui non sit potestas, iussa complere.* Hominibus quoque plurimum nocet hæc liberi arbitrij negatio. Tum quia januam aperit omnibus flagitijs tanquam inevitabilibus. Tum quia omnem hominum societatem dissolvit, quia nemo potest alteri fidere, nec ejus dictis credere, si non possit fidem servare, nec promissa præstare. Tum quia tolleretur omnis politia, leges, ac pænæ &c. Videatur Bellarm. loc. cit. L. 5. à c. 14. ubi hæc argumenta pluribus proponit, ac contra Calvinum defendit.

VII. Dicunt Adversarij. Voluntas non est indifferens ad alterutrum ex æqualibus, cum nulla sit ratio præferendi unum alteri. Ergo nec ad alterutrum ex inæqualibus. Ergo ad nulla duo extrema est indifferens. Ergo nec libera. Respondet. Si Antecedens concederetur, aliud inferri non posset, quàm voluntatem non posse eligere minus bonum, si in meliore reperitur omnis ratio bonitatis conveniens bono minori, & aliquid amplius. Sed negatur absolute Antecedens; quia voluntas manet libera, etiamsi duo æqualia bona proponatur. Ergo non debet in tali casu suspendere suum actum, sed poterit unum ex illis eligere, quod voluerit, si præsertim judicetur expedire vel absolute, vel quoad aliquid, ut deligatur potius alterutrum, quàm ut prætermittatur utrumque. Videri post Esparza. Lib. 3. de Act. hum. q. 12.

VIII. *Doctrina tertia.* Voluntas tamen, seu Liberum Arbitrium in suis actibus non semper est liberum, idque non tam proprio, quàm alieno defectu intellectus, à quò dependet in operando. Est communis Doctorum. Nam voluntas per se est caeca, nec potest progredi, nisi intellectus præluceat juxta vetus proverbium: *Ignoti nulla cupido.* Si ergo intellectus rem non bene proponat voluntati, impedit ejus libertatem. Libera enim electio duo requirit. 1. oppositas rationes boni & mali in objecto relucens. 2. facultatem magis deliberandi, & intellectum huè illuc flexendi ad melius investigandam. Quando igitur intellectus objectum sub unica tantum ratione boni vel mali proponit, non est locus electioni. Similiter si intellectus quasi pertinax non patitur se ad alias cogitationes inclinari, sed in suo conceptu pertinaciter inhaeret, ut fit in somno, ebrietate, mania &c. impeditur libertas voluntatis, quæ non statim primas cogitationes sequitur, sed jubet intellectum magis examinare, an ita res se habeat, ut apparet. Unde si intellectus sit inobediens, & voluntati non obtemperet, læditur voluntatis libertas. Postò illa inobediencia intellectus oritur ex inobediencia phantasiæ, à cujus concursu intellectus in hac vita dependet; phantasiæ autem pertinacia oritur ex mala dispositione cerebri humoribus repleti, vel aliter læsi, ut species & Spiritus ad actum phantasiæ necessarij communicari nequeant.

IX. *Doctrina quarta.* Liberum arbitrium est potentia non partim activa partim passiva, quasi ab alio ad agendum determinata, sed simpliciter activa ita communiter Catholici Doctores. Probat. Tum quia juxta S. Augustinum aliòque Sanctos Patres in voluntatis potestate est agere & non agere, velle & non velle. Tum quia actus voluntatis est vitalis & immanens, adeoque à principio

intrinseco, & vitali necessario productus; potest quidem hinc liberum arbitrium etiam dici passivum patiendò scilicet ac sustentando suum actum sed de hac passivæ potentia ratione non est quaestio, sed de ea solum, quam habeat ab extrinseco determinante ad agendum, ut diximus. Tum quia si liberum arbitrium esset potentia passiva, falsò diceretur potentia libera; quippe non est in potestate patientis, quid in ipso fiat, sed in potestate agentis est, quid in alio faciat. Tum denique quia Concilium Trid. Sess. 6. c. 4. definit, *libertatem humani arbitrij non se passivè mere habere, sed verè cooperari Deo vocanti.* De quo plura infra.

X. *Doctrina quinta.* Amor boni in communi non est liber, sed necessarius. Ita communis Doctorum. Nam voluntas nihil potest velle, nisi quatenus bonum: nec bonum in communi odisse: nec perfectum bonum seu felicitatem (siquidem est ex conceptu suo est omnium bonorum aggregatio) nec ullum bonum, quatenus bonum, respicere, ut rectè Esparza loc. cit. q. 13. a. 2. Et ratione generalis hujus determinationis ad bonum in communi, quam Deus humanæ voluntati insevit, dicitur ipse Deus esse primus Motor omnis humanæ actionis; quia virtute hujus necessarij amoris postea liberè se determinat ad bona particularia; sicuti fere fames est nativus appetitus cibi, cujus impulsu homo se determinat ad certum cibum. Dicitur autem voluntas respectu boni in communi non esse libera libertate saltem contrarietatis; quia non apparet, cur ea bonitas in confuso cognita ad amorem sui cogat, etiamsi esse nequeat objectum odij, ut rectè Arriaga Tom. 3. D. 7. n. 10. & consequenter omnes, qui puram omissionem defendunt.

XI. *Doctrina sexta.* Liberum arbitrium, in quo conditus est primus homo, per peccatum non quidem penitus in nobis est sublatum, non nihil tamen est imminutum ratione inclinationis in unam partem objecti. Ita Catholici, & habetur in Tridentino Concilio Sess. 6. c. 1. ubi *liberum arbitrium dicitur viribus attenuatum & inclinatum fuisse per peccatum.* Nam libertas est quædam indifferentia similis æquilibrio statæræ in neutram partem magis propendentis. Sicut ergo æquilibrio imminuitur, si uni lanci plus ponderis imponitur, ut in unum latus magis propendeat, ita indifferentia voluntatis non nihil infringitur per inclinationem in unam partem objecti, quæ provenit vel ex inordinato sui amore, vel ex amore sensibilibus bonorum cibi, potus, voluptatis &c. sub quibus latet hamus peccati, vel ex malis habitibus per consuetudinem introductis. Unde fit, ut voluntas tot ponderibus pressa non absque difficultate & violentia ad bona supernaturalia se erigere valeat; ijs tamen superandis divina bonitas succurrit per gratiam actualem, contrariam inclinationem ad bona supernaturalia infundendo. Hinc surgit illa pugna carnis & Spiritus, de qua Apostolus ad Gal. 5. v. 27. *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem; hæc enim sibi adversantur, & qui in hac pugna vicerit, in cælo coronabitur.* Jacobi I. v. 12. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam si probatus fuerit, accipiet coronam &c.* Non obstant Concilia Arausicanum can. 1. & Trid. Sess. 5. can. 1. ubi dicitur, *totum hominem per offensam pravaricationis Adæ fuisse in deterius commutatum.* Nam intelligenda sunt de privatione & defectu doni extrinseci, quod totam hominis naturam

turam perficiebat: non intrinsecæ ac naturalis perfectionis naturam humanam constituentis; naturalia enim etiam in dæmonibus mansisse post peccatum integra, affirmat expressis verbis D. Dionysius Ariopag. c. 4. de divinis nominibus, à quo scholastici delumpserunt istam sententiam, quod scilicet corruptio naturæ per peccatum inducta non consistat in defectu alicujus perfectionis intrinsecæ ac naturalis, sed solum extrinseci doni naturæ humanæ supernè attributi. Videri potest Greg. de Valentia Tom. 2. disp. 6. q. 15. puncto 1.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XII. Error primus est; Adamum & Evam in Paradiso & in statu innocentie habuisse quidem liberum arbitriū, sed peccato perpetrato illud amisisse, ut non solum ipsi, sed omnes etiam eorum posteritati fatali quâdam necessitate modo ad peccatum, modo ad bene operandum adigantur. Ita antiqui aliqui hæretici, ut Simon Magus & Manichæi, quos secuti sunt Wicleffus, Lutherus & Calvinus, ut videre est apud Card. Bellarminum L. 3. c. 4. Et L. 4. c. 5. de gratia & libero arbitrio. Tanneum Tom. 2. D. 2. q. c. dubioj & alios passim. Quamvis autem isti in eo conveniant, quod liberum arbitrium post lapsum Adami perierit, in modo tamen explicandi discrepant. Nam Stoici & Priscillianistæ in nescio quod fatum eam necessitatem reducere. Calvinus in Deijmotionem refert eandem necessitatem; hæc enim sunt ejus verba L. 2. Inst. c. 3. §. 10. voluntatem movet Deus, non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, ut nostra sit electionis, motioni obtemperare, aut refragari, sed illam efficiendo. (seu, ut habet Gallica Editio, ita movendo, ut sequi necesse sit.) Illud ergo toties à Chrysolomo repetitum repudiari necesse sit: quem trahit Deus, volentem trahit. Lutherus pro more suo sibi semper in inconstantia constans aliter in alijs locis loquitur. Subinde enim videtur prædictam necessitatem refundere in corpus passibile, & interiores illius passionis: subinde illam necessitatem vult provenire ab intrinsecæ naturæ voluntatis determinatæ ad unum, ita enim loquitur Art. 36. Liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re, quia nulli est in manu suâ quidquam cogitare boni, aut mali, sed omnia de necessitate absoluta sunt. Subinde etiam ab hac necessitate hominis voluntatem ait exemptam (quali priori tempore nondum plenè fuisset illuminatus, ut ajunt hodierni Lutherani) in solis supernaturalibus DEO gratiâ suâ naturam corruptam sananti omnia tribuendo.

XIII. Probant hunc errorem 1. ex S. Script. ad Rom. 6. v. 16. Nescitis, quoniam cui vos exhibetis servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis sive peccati ad mortem. Et. & v. 20. cum servi essetis peccati, unde sic argumentantur: nullus servus est liber, quia servitus & libertas opponuntur. Sed primi Parentes obediendo serpenti facti sunt servi Dæmonis, teste Apostolo loc. cit. & confirmat D. Petrus epist. 2. c. 2. v. 13. respiciant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem, Ergo tunc deserunt esse liberi, sicuti & nos peccata eorum hæreditantes. Alia præterea loca Sacræ Scripturæ afferunt, quibus innui-

tur, in manu DEI esse corda Regum & vias hominum, omniaque in nobis DEUM operari; sic Jsaia 26. v. 12. & 1. ad Corinth. 12. v. 6. Item Jerem. 10. v. 23. scio Domine, quia non est hominis via eius, nec viri est, ut ambulet & dirigat gressus suos. Et ad Rom. 15. v. 6. quoniam ex ipso & in ipso & per ipsum sunt omnia. Rursus Matth. 18. v. 7. ait Christus: necesse est, ut veniant scandala. Ergo scandala sunt necessaria, non libera. Ergo nec alia hominis opera, cum par omnium sit ratio, Probat 2. ex SS. Patribus maxime ex August. qui in Enchir. c. 30. ait, hominem libero arbitrio male abutendo perdidisse illud. & L. 6. de Genes. ad Litteram c. 15. & 17. sic scribit: Conditoris voluntas rerum necessitas est. Item hoc autem necessario futurum est, quod Deus vult. & ea futura sunt, quæ ille præcavit. S. Gregor. M. Lib. 3. in 1. Reg. c. 7. omne, inquit, quod à nobis in omni vita nostra prosperum geritur, divina gratia adscribitur. Similia plura S. Scripturæ, Conciliorum, Patrum, ac Doctorum accumulat Gerhardus L. 2. Par. 3. a. 22. c. 4. Probat 3. Ratione. Tum quia non videmus apertè potentiam nostram indifferentem, Tum quia, quod Deus, ab æterno præcavit, nos facturos, omittere nequimus, cum non possimus eam scientiam reddere falsam. Ergo non habemus libertatem ad non faciendum id, quod Deus nos facturos prævidet. Tum quia certum est, Liberum arbitrium per peccatum fuisse passum; cum ergo in externis & politicis integrum sit, in rebus, ad salutem pertinentibus subierit detrimentum oportet, ut scilicet ad gratiam se præparare, & oblato auxilio assentiri, cooperari, ac motus spirituales edere nequeat.

XIV. Error iste lumini Naturæ repugnat, ex quo videmus peccata esse in mundo, & qui liber in se experitur, stimulat quippe eum conscientia, indeque sequitur dolor ac propositum illud de cætero non committendi. At si homo non esset liber, non possent esse talia peccata, quod enim homo vitare non potest, cur in eo reprehendatur, aut vitæ dignus habeatur. Assentiantur doctrinæ nostræ de libero arbitrio experientiâ hæc edocti & naturali lumine illustrati omnes Philosophi Græcorum, Flamines Romanorum, Brachmannes & Bontij Indorum, Rabini Judæorum, & si interrogentur, non impietatis solum, sed & soliditatis contrarium errorem damnabunt, qui homines facit ainos; quid enim hominis in homine erit, si libertatem de operis? quid etiam virtutis & vitij, si arbitrium sustuleris? Quare imprudens plane & impudens censendus est ille, qui sine efficacissimo argumento se opponit omnium fere hominum præteritorum & præsentium judicio ex lumine naturæ & experientia profecto. Atqui ad negandam libertatem nullum, nec leve esse argumentum parebit ex solutione eorum, quæ adducta fuerunt.

XV. Respondetur igitur 1. ad S. Scripturam. Ex illo ad Roman. 6. nihil penitus probatur. Tum quia illa servitus peccati per pœnitentiam desinit, & restituitur libertas, ut ait Apost. loc. cit. v. 22. nunc autem liberati à peccato servi autem facti Deo. Ergo universim non est verum, homines iustificatos carere libero arbitrio propter servitutem peccati. Tum quia servitus peccati non est perfecta, nec tollit omnem libertatem etiam peccatoribus, sed tantum eius usum difficiliorem facit pro-

ait propter rebellionem concupiscentiæ. Tum quia peccatores sunt servi diaboli, quamdiu manent in sua mala voluntate, quam tamen cum divina gratia mutare possunt. Itaque non est absolute servitus, sed conditionate sub libera conditione, quamdiu volunt in suo malo proposito permanere. Pro reliquis locis S. Scripturæ. Quando insinuatur *in manu Dei esse corda Regum, & vias hominum*, advertendum non esse idem, liberam esse volitionem interiori: & liberam esse executionem. Nam actio exterior, in qua consistit executio, non est libera formaliter in se, sed denominative à volitione interiori, à qua imperatur; unde etiam si actio externa impediatur à Deo, vel à quocunque alio, non propterea ullo modo putandum est, noceri libertati voluntatis, seu actus interioris, in quo præcisè est libertas. Hinc loca aliqua S. Scripturæ, quæ hæretici pro se afferunt, facile contra illos retorquentur v. g. Proverbior. 16. v. 1. dicitur: *hominis est, animam preparare* (ecce libertatem interiori!) & *Domini gubernare linguam* (ecce impedimentum in actione exteriori!) Vnde ex hoc & similibus locis aliud non habetur, quam actiones externas hominum liberè propositas diversis modis impediri à Deo posse, quod nihil profus contra nos. Quod autem Lutherus objiciat illud *Isaiæ 41. v. 22. bene aut malè si potestis facite*, est profus abs re; quia Propheta non loquitur de hominibus, sed de idolis, quibus exprobrat imbecillitatem suam. Porro quando dicitur *Deus omnia operari in nobis*, aliud non vult insinuare S. Scriptura, quam Deum concurrere nobiscum tanquam causam generalem, à qua libertatem non lædi dicitur suo loco. Demum quando *Matthæi 18. scandala necessariò venire dicuntur*, hæc necessitas minimè repugnat libertati; quia non oritur ex causa efficiente, sed finali, quasi diceret Christus, nemo miretur, Deum tot scandala permittere (Siquidem facile, si vellet, impedire posset,) quia hæc permissio est necessaria ad finem à Deo intentum, nimirum *ut qui probati sunt, manifesti fiant*, sicuti Apostol. 1. ad Corinth. 11. v. 19. exponit.

XVI. Responderetur 2. Ad Patres. Allato testimonio ex Enchiridio S. Augustini opponimus aliud ex eodem contra duas epist. Pelagij. L. 1. c. 2. ubi hæc habet. *Quia nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit per peccatum, sed ea, quæ in Paradiso fuit, habendo plenam cum immortalitate justitiam; nam liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent maximè omnes, qui cum delectatione peccant.* Quibus verbis S. Pater & explicat locum ab hæreticis objectum, & veram in homine libertatem adhuc remanere affirmat. In altero testimonio ex Genes. ad Litteram non loquitur S. Pater de actibus nostris liberis, sed de operibus ab ipso Deo immediatè liberè factis v. g. *Mundi fabrica, animantium creatione &c.* Nam eo ipso, quod Deus talia velit, sine dubio necessariò existunt; quod si etiam loquatur de actibus liberis, ideo necessariò est futurum, quod Deus vult, quia eavolitione futuratione conditionata eorum actuum: & omne, quod est ex suppositione, quod sit, necessariò est, quæ necessitas non tollit absolutam libertatem, ut ostendunt Scholastici. Ad S. Gregorium dicimus, indubitatum esse, gratiæ adscribendum

esse, quicquid à nobis prosperum & ad salutem pertinens geritur, ut definit Arausicanum can. 7. Interim non minus certum est, eidem gratiæ liberè nos cooperari. Vnde ut bene monet Becanus in Manvali L. 1. c. 17. diligenter distinguenda sunt hæc tria. 1. Nihil boni operis, quod ad salutem conducit, facere nos posse sine gratia Joan. 15. v. 5. & 2. ad Corinth. 3. v. 5. 2. Non esse in potestate nostra, ut habeamus gratiam Dei prævenientem, quæ excitetur ad bene operandum ad Rom. 9. v. 16. 3. esse tamen in nostra potestate, ut, quando habemus gratiam Dei, cum illa cooperemur; non enim gratia Dei necessitat, sed utri acceptari potest, ita & repudiari. Hinc querela illa contra malè utentes libertate hac Actor. 7. v. 51. *vos semper Spiritui Sancto resistitis.*

XVII. Responderetur 3. ad argumenta ex ratione. Ad 1. Experientia hæc humanæ libertatis tam certa est, ut alio argumento opus non sit: rectèque dixit Scotus non rationibus, sed verberibus refutandum esse, qui arbitrij libertatem negat. Et licet ita esset, certè neque in contrarium quidquam ratio, aut experientia ostendit; Deus autem clarissimè eam libertatè in Scriptura tradidit, omnesque sapientes & insipientes agnoscunt. Cur ergo vel ab auctoritate saltem non agnoscit hæreticus? sicut fatetur Verbum fuisse incarnatum, quantumvis nec rationem naturalem, nec experientiam habeat pro illa veritate, quæ attentè ratione naturali multò minus ostenditur, quam nostra libertas. Ad 2. necessitatem hanc esse solùm consequentem, non antecedentem; ista dicitur, quæ antecedit effectum futurum, nec illum præsupponit, ideoque libertatem tollit: illa vero dicitur, quæ effectus futurationem supponit, & ideoque libertati non repugnat; siquidem implicat, aliquid esse futurum, & non esse futurum simpliciter. Sicuti ergo Petrus non ideo se necessariò movet, quia ego moveri eum video: ita nec peccat necessariò, quia Deus illum peccare videri, ut mox magis constabit ex dicendis. Ad 3. Liberum arbitrium, quomodo fuerit passum, diximus supra ex Tridentino, nempe non fuisse quidem extinctum, quia retinuit vires naturales, est tamen attervarum, quia spoliatum donis supernaturalibus. Hinc apparet, nos ex parte nostra dissentire à Pelagianis & à Calvinianis; illi dicebant, liberum arbitrium nullomodo esse læsum: isti clamant, omnino esse extinctum. Nos Catholici fatemur, labefactum esse quoad supernaturalia: integrum perseverasse quod naturalia. Ita Ecclesia semper est media inter hæreticos, sicuti Christus inter duos latrones crucifigitur, ut iam olim agebat Tertulianus. Cæterum hæretici hodierni injuriam fieri conqueuntur tam Lutherò & Calvino, quam sibi, dum liberum arbitrium tollere dicuntur. Verùm quæ sit Lutheri & Calvini atque ipsius Jansenij mens, luculenter perspicitur ex illorum verbis in hunc finem supra allatis, & mox de Jansenio magis constabit.

XVIII. Error secundus, post peccatum Adami non dari in posteris libertatem indifferentiæ, sed solùm libertatem à coactione, atque hanc sufficere ad actus morales: nec requiri liberum arbitrium in utramque partem. Ita Cornelius Jansenius non ille Flander Gandavensium Episcopus

scopus & celeberrimus Evangelicæ Concordiæ Scriptor, sed Holandus ex Doctore Theologo Episcopus Jprensis in opere suo in tres tomos diviso, & Lovanii 1640. impresso, cujus titulus: AUGUSTINUS. Vbi ita scribit. Imprimis Tom. 3. L. 6. c. 12. col. 658. nihil aliud libero arbitrio generaliter repugnat, quam necessitatis illius prementis cogentisque violentia. Ibidem L. 8. cap. 19. col. 869. Hinc nulla gratia efficacia, nulla necessitas actibus nostris liberis formidanda est, sed sola vis coactionis, & necessitas violentia; reliquam verò quamcumq; & quamquamcumq; necessitatem cur timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis? Deinde postquam col. 866. communem libertatis definitionem rejecit veluti gratia Christi inimicam, addit eod. tom. & lib. 8. cap. 20. col. 871. : *post tamen liberum arbitrium etiam peccato originali laesum tam ante quam post susceptam gratiam velle & nolle, agere & non agere & c. in sensu diviso non composito; quia in eodem voluntatis arbitrio potestas peccandi, & gratia non peccandi simul conjungi potest. Demum illo ipso Tom. & lib. c. 19. col. 867. suam sententiam & definitionem aperiens asserit, libertatem arbitrii in hoc consistere, quod homo agat, & non invitus, neg. coactus, sed volens agat hoc modo: in cujus probationem adducit D. August. L. 3. de libero arb. c. 3. docentem, id nobis esse liberum, quod in nostra est potestate: praterea id esse in nostra potestate, quod si volumus, facimus: & si nolumus, non facimus; Ex quo conjicitur implicare contradictionem, voluntatem nostram non esse liberam; etenim quando volumus adest volitio; alias vellemus sine volitione: & quando nolumus, non adest volitio; alias nolentes vellemus. Si igitur de aliquo verum sit, quod adest, dum volumus: & cum nolumus, non adest, maxime de volitione nostra verum sit, oportet.*

XIX. Non discrepat iste error a priore Calvinistarum & Lutheranorum, quidquid dicat Amesius loc. cit. fol. 68. conquerens per calumniam tribui suis, quod libertatem stuant duntaxat à coactione, cum supponant libertatem voluntatis à necessitate naturalis determinationis ad unum. Sed frivola hæc est querimonia & evasio; non enim est controversia, an liberum arbitrium habeat necessitatem naturalis determinationis ad unum, ut saxum determinatur à naturâ deorsum ad centrum, ignis ad calefaciendum, sed an liberum sit ab omni necessitate absoluta extrinsecus illarâ absque coactione seu violentiâ? Hic respondeant categoricè, quotquot sunt Lutheri & Calvini non degeneres discipuli, Verane sint ipsissima verba Lutheri & Calvini supra §. XII. fideliter relata: an falsa impia & blasphema? Si vera; quomodo Calumniam patiuntur? si falsa impia & blasphema, cur non ipsidem se opponunt, & omisso inutilibus verborum ambagibus mentem suam aperte exponunt. sicuti nos facere vident? adhæc liberum hominis arbitrium vel est per peccatum omnino extinctum, vel non? si prius. Ergo nec in supernaturalibus nec in naturalibus libere operamur, utpote libertate spoliati: si posterius, in supernaturalibus æque ac naturalibus liberi remanemus; cum libertas non possit in illis esse sublata & extincta, in his vero relicta.

XX. Porro Jansenius hisce hæreticis consentiendo probat opinionem suam tum ipsdem argumentis, quæ supra sectarij retulerunt, & jam rejecta sunt, tum sequentibus sparim in opere suo indicatis. 1. D. Augustinus, torus quantus

est, assertoribus bicornis indifferentiæ repugnat; omisso alijs ejus testimonijs, in Enchir. c. 105. *aita voluntatem illam esse liberam, quâ volumus esse beatam, quam tamen beatitudinem non possumus non velle.* Et L. 23 de Civit. Dei c. vlt. *Beatos pronunciat, non ideo liberum arbitrium non habere, quia peccare non possunt.* 2. S. Bernardus ferm. 81. in Cantic. scribit: *ipsam sibi voluntatem peccato necessitatem facere.* 3. D. Thomam in quæst. decima de potentia a. 2. ad 5. docet, solam coactionem repugnare naturali libertati voluntatis. Et in 1. part. q. 83. a. 3. ad 3. per peccatum perijsse libertatem gratiæ, sed non libertatem naturæ, quæ est, inquit, à coactione. 4. Voluntas nostra perinde seruit concupiscentiæ imperio, ac voluntas Beatorum divinæ charitati. 5. omne illud est nobis liberum in actibus, quod est à nostra voluntate absque coactione & violentia. Sed quandocumque aliquid volumus non inviti coacti, est id à nostra voluntate absque violentia, Ergo est liberum. 6. definitio illi liberi arbitrii, quod possitis omnibus ad agendum requisitis possit agere & non agere est veteribus incognita, Christi gratiæ inimica, Sacræ Scripturæ necessitate gratiæ adfluenti contraria. 7. Pelagianismum resuscitant, qui libertatem indifferentiæ propugnant.

XXI. Error iste manifestè contrariatur Sacræ Scripturæ Concilijs ac Patribus nominatim. S. Augustino, ac demum rectæ sanæque rationi, imò & experientiæ, uti constat tum ex dictis parte priore, tum ex dicendis statim magis constabit. Itaque Libertas à Mag. Sententiarum in 2. dist. 25. ex S. Script. & Patribus triplex distinguitur; una à necessitate: altera à peccato: vltima à miseria. Prima est naturæ. Secunda gratiæ. Tertia gloriæ; cumque libertas Naturæ iterum sit duplex; una quæ opponitur simplici coactioni: altera, cui non sola coactio, sed etiam necessitas quæcumque absoluta repugnat; ad liberum arbitrium hæc posteriorem libertatem indifferentiæ requisivimus. supra §. 2. doct. 1. & ex ista errore præsentem nunc rejicimus. Primum. quia aduersatur Sacræ Scripturæ, cujus clarissima testimonia loc. cit. supra adduximus. Secundò. quia aduersatur Concilijs & Patribus. Concilium Arausicum can. 25. statuit, *post baptismum, si velis, bene vivere.* Experientia autem docet, posse eundem, si velit, etiam non bene vivere, ac proinde potest velle, & non velle, bene & malè vivere. Trident. sess. 6. can. 4. definit: *hominem consentientem gratiæ vocanti posse dissentire, si velit.* Ubi expressè decernitur potentia ad utrumque oppositorum; qui enim consentit, potest dissentire. Ergo si potest dissentire, uti definitum est, habet simul potentiam consentiendi, quam exerceat: & potentiam non consentiendi, imò dissentiendi, quam non exerceat; ac proinde Sacra Synodus tam impossibile censuit, consentientem non posse dissentire, quam consentientem libere non posse dissentire, sive etiam sic non consentire. Pius V. & Gregorius XIII. Summi Pontifices damnarunt hæc trigessimam octavam propositionem Michaelis Baii: *quod voluntarie sit, etiam si necessario fiat, libere tamen sit;* hæc autem etiam est propositio Jansenij. Patres & speciatim S. Augustinum pro libertate indifferentiæ supra §. III. adduximus. Tertiò aduersatur rationi. Tum quia sic Deus libere

geniul.

genuisset filium ab aeterno, quia non coactè, tum quia sic liberum arbitrium pecoribus competeret aequè ac pueris, furiosis, somniantibus. Tum quia sic chymérica omnino est potestas electiva cum determinatione ad unum; etenim electio est inter multa, ideoque electionem præcedit consultatio. At si necesse habeo, unum aliquid velle aut facere, ad quid consultatio? ubi electio? Tum quia unus quisque in se ipso, si quidem se attentè reflectere velit, experitur, quod, quando quis sibi imperat ambulationem v. g. quod, inquam, ipsa volitio ambulandi non prorumpat à potentia volitiva eà necessitate (propositis motivis contrariis tam ad ambulandum quam ad non ambulandum.) quâ necessitate sequitur ad volitionem ipsa externa ambulatio: Item experitur, imperium voluntatis non sequi eà necessitate ad simplicem complacentiam, quâ necessitate sequitur ipsa simplex complacentia ad cognitionem bonitatis in objecto. Ergo hæc minor necessitas arguit potestatem præsentem ad oppositum, sive libertatem indifferentiæ.

XXII. Itaque errore hunc Sacræ Scripturæ Concilij & Patribus rectæque rationi repugnantes metitò rejecit Innocentius X. Papa in Bulla Anno, 1653. ubi inter quinque propositiones Jansenij Episcopi Iprensis damnatas, cum tertio loco posuisset istam; *ad merendum & demerendum in statu nature lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*; mox subjungit Pontifex, eandem propositionem hereticam declaramus, & uti talem damnamus. Hoc Innocentij decretum confirmavit postea Alexander VII. Anno 1658. & prædictam Jansenij propositionem iterum rejecit ac damnavit. Argumenta, quæ pro se Jansenius attulit, nihil virium habent. Respondetur 1. Ex mente S. Scripturarum ac Conciliorum Patres tam Græci quam Latini à primo Ecclesiæ exordio per singula sæcula, atque in primis S. Augustinus ejusque Discipuli indifferentiam voluntatis ad utrumlibet expeditam vinculo necessitatis antecedentis ita agnovere, ut fateantur, *viam nobis datam esse, cui vis illa non sit aut impressa necessitas ad operandum, in manu nostra esse eligere vel non eligere, parere & non parere Deo vocanti: necessitatem nos non habere, sed potestatem Deum sequendi: quocumque voluntatem inspicere, quin & collatan gratiam negligere posse: illi impulsui sine peccato cedi, cui resisti non potest.* Unde etiam D. August. L. 1. Retr. c. 22. & L. de Nat. & Gratia c. 65. & in Psal. 134. dum gratiam cum natura conciliat, eò recurrit, *quod liberum sit opus, quia non ex necessitate procedit actio.* Quare Jansenius D. Augustino injuriam facit longè gravissimam, dum adeo præfractè & impudenter dicere audeat, S. Patrem assertionibus libertatis indifferentiæ adversari: errori autem suo eundem Patrem patrocinari, cum apertè plus quam cælum à terra distet doctrina S. Augustini ab errore Jansenij. In Enchirid. S. Pater loquitur vel de solo exercitio, vel etiam quoad specificationem de alijs rebus felicitati non annexis. Quamvis enim voluntas nostra non sit libera in appetenda felicitate, ut dixi §. X. potest tamen cessare ab appetendo: multæ etiam sunt res aliæ, quæ non sunt necessariò cum beatitudine connexæ. Lib. 22. de Civit. solùm vult, ex eo non auferri in Beatis liberum arbitrium, quod peccare non possint, imò illud potius confirmari, qui enim pec-

care non possunt, liberrimi sunt in eligendo, & hoc vel illud bonum eligere valent; sic etiam ipse Deus non potest mori, falli, aliquid nescire, ex quo tamen non adimitur ipsi libertas. Videatur Bellarm. L. 3. de gratia & Liber. arb. c. 6. ubi plura testimonia & ipsa verba S. August. affert, & juxta responsa nostra explicat.

XXIII. Ad 2. S. Bernardum loqui de necessitata conditionata, quæ non repugnat libertati: non autem de absoluta, quæ cum libertate consistere nequit; utique enim homo necessariò peccat, dum pravum affectum ad peccandum non deponit, sed ipsi cedit, quem tamen deponere deberet, & vincere posset. In quem sensum Paulus 1. ad Corinth. 11. v. 19 dixit, *oportet hæreses esse, suppositâ scilicet hominis infirmitate, inconstantia, superbiâ, & pronitate in novitates, à quibus vinci se sinunt, non, ut possent, resistendo.* Cæterum quæ sit mens D. Bernardi, patet ex Lib. de gratia & liber. arb. ubi hæc habet: *est verò gratia data voluntati, ut instruat illam, non ut destruat; destrueret autem, si necessitatem ei ullam imponeret: quominus se pro arbitrio volueret, sive in malum consentiens appetitui, sive in bonum gratiam sequens.*

XXIV. Ad 3. S. Thomam in Q. 10. de Potentia loqui de voluntate simplici: non de voluntate determinante, ut est principium electionis, quæ sola liberum arbitrium nominatur. In prima parte eundem accipere coactionem pro necessitate sive determinatione de unum; Nam in corpore articuli dixerat, liberum arbitrium non esse habitum, sed potentiam, quia per habitum inclinamur ad unum: liberum autem arbitrium indeterminatum esse ad multa etiam opposita. De reliquo quid Angelus Doctor in re præsentis sentiat, ipsemet apertissimè declarat in disputatis Q. Q. de malo q. 6 & unica, quæ est de electione humanâ. Ubi sic scribit: *hæc opinio quâ quidam dicunt, voluntatem hominis ex necessitate moveri ad eligendum, nec tamen cogi, est heretica; tollit enim rationem meriti ac demeriti, subvertit omnia principia philosophiæ moralis; si enim ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, & præceptum, & laus & vituperium.*

XXV. Ad 4. Negando voluntatem nostram necessariò servire concupiscentiæ: & Beatos liberè diligere Deum. Nam tamen admittenda in Beatis perfectissima libertas, quæ sit immunitas à peccato, nulla tamen in illis datur libertas, quoad dominium actus circa ardentem eorum amorem in Deum, & voluntatem non peccandi; quemadmodum enim in Beatis non datur libertas ad peccandum, quia necesse est, sob determinationem potentiæ ad oppositum, best. peccatum, ita quia necesse est simpliciter, ab illis poni amorem ex determinatione potentiæ, non datur respectu horum actuum libertas. Aliter se haberet concupiscentia ad voluntatem, quæ istam nequaquam necessariò ad unum trahit, & determinat juxta illud Genes. 4. v. 7. *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius;* quasi diceret Deus Caino mæsto vultu ob conscientiam perpetrati fratricidij, & timorem instantis pænæ incedenti; *facile omnem evades pænâ, si, ut liberi es arbitrij, volueris concupiscentiæ & appetitui tuo tanquam mancipio rebelli dominari, & resistere; etenim invitare te possunt passionibus & appetitui tui ad culpam, sed cogere non possunt. Quod si concupiscentia jam pro imperio in hominem agat,*

ac in sui servitium indefinenter trahat, ut vult Janfenius: adeoque flexibilitas arbitrij in utramque partem, quæ fuit in Adamo, in nos transfusa non fit, extinctam profus corruptamque naturam, ac penitus omnem sublata fuisse libertatem, necesse est, prout contendunt Calvinus, Lutherus, Buzerus, & alij Sectarij. Quid enim ultra ad hoc, ut illa penitus sublata sit, exigitur, quàm ut nulla sit indifferentia ad agendum bonum? ut voluntas concupiscentiæ imperio serviat? ut non suppetat medium antiquam arbitrij flexibilitatem obtinendi? quæ aliæque cum admittat Janfenius, non apparet amplius, quomodo in nobis liberum arbitrium concedere queat.

XXVI. Ad 5. Negando Majorem. Nam omnis voluntas ex vi actûs primi determinata ad unum, ut habeat necessitatem operandi; eò ipso definit esse libera, eâ libertate, quam Sacra Scripturæ, Concilia, Patres & Theologi ad meritum & demeritum requirunt. Etsi enim fateantur omnes, quemvis voluntatis actum esse liberum libertate oppositâ violentiæ vel coactioni, non tamen eâ libertate, quæ laudem vel vituperium parit, & de qua solâ contenditur cum hæreticis, & quam agnoverunt Gentiles, contra quos efficaciter probat D. Augustinus, dari præscientiam actuum futurorum, qui etsi prævisi maneat nihilominus liberi ex eo, quod omnia eo modo præscientur esse futura, quo futura sunt; cui nihil derogat, dari aliquem actum voluntatis non liberum. Unde infertur, eum solum actum esse liberum, quem voluntas possit omnibus ad agendum requisitis efficere vel non efficere potest.

XXVII. Ad 6. esse decumanum mendacium. Nam quotquot ab exordio Ecclesiæ fuerunt Catholici Doctores, Sacris litteris insistentes hanc liberi arbitrij definitionem, quod sit facultas que possit omnibus ad agendum requisitis, agere vel non agere possit, aut apertè tradiderunt, aut ita supposuerunt, ut haud obscure ex illorum verbis conijci possit. Equidem video Janfenium in opere suo non paucos etiam Auctores pro opinione suâ allegare. Sed eos nolentes volentes sibi servire facit. Plurium testimonia, quæ à vero sensu avulsa pro se adducit, ipsi non patrocinantur, sed apertè adversantur. Reliqui autem ferè omnes Auctores, qui vel obscure loquuntur, vel in speciem Janfenio favere videntur, ipsæ aut vicinis locis tam disertè & velut ex professo docent libertatè indifferentiæ ad utrumlibet à Janfenio impugnata, ut eosdem vel non vidisse, vel malâ fide illos attulisse, haud immeritò censetur. De reliquò Libertatem indifferentiæ Sac. Scripturæ omnino concordare, & gratiæ Christi nihil derogare, constat tum ex dictis, tum ex dicendis magis constabit.

XXVIII. Ad 7. Denique, esse calumniam gravissimam, ac impudentissimam. Pelagius præter nudas liberi arbitrij vires, non nisi externam legis, & doctrinæ gratiam agnovit, nullam verò gratiam internam concessit, quæ à Spiritu S. profecta tum voluntatem intus moveat, ejusque dejectas vires roborat, tum ipsam operationem conferat. Illi autem, qui libertatem indifferentiæ propugnant, omnem prædictam gratiam internam à Pelagio negatam, & contra istum à Concilijs A-rausicano, Milevitano, & novissimè à Tridentino assertam fidelissimè tenent, apertissimè docent, & constantissimè defendunt. Quomodo ergo Pelagianismum resuscitant, dum, quam dixi, liber-

tatem indifferentiæ, propugnant? Eandem libertatem indifferentiæ clarè asseruerunt antiquissimi Patres, ut ex ipsorum verbis patet apud Bellarm. L. 6. de Gratia & Lib. arbit. c. 11. Quam parum autem isti vetustissimi Patres per asseritam Libertatis indifferentiam primò excitarunt errorem pelagianismi, tam parùm istum jam damnatum iterum resuscitant illi Auctores, qui sæpe dictam libertatis indifferentiam propugnant. Patet igitur ex his, nihil argumentis Janfenij contra libertatis indifferentiam subesse, nisi injurias, calumnias, & mendacia, in Sac. Scripturam, SS. Patres, & in Catholicos Doctores ac Scriptores, De Pelagianismo autem plura in sequentibus controversijs.

CONTROVERS. XLVII.

DE GRATIÆ ACTUALIS Naturâ.

Gratia hic loci non est accepti beneficij recompensatio: neque affectus benevolentiae, quo quis alterum gratum habet, sed potius donum & beneficium ex tali benevolentia profectum; quo sensu Gratia subinde accipitur latè pro quovis beneficio gratis concessio, & comprehendit creationem, conservationem aliæque dona merè naturalia. Propriè autem sumitur pro dono divino naturæ ordinem aliquo modo transcendente, & ad supernaturalem beatitudinem consequendam adjuvante. Ita sumpta inprimis dividitur in Gratiam gratis datam: & Gratiam gratis facientem; per priorem intelligitur illud duntaxat donum, quod à Deo gratis concessum est ad utilitatem aliorum, cujusmodi sunt gratiæ linguarum, curationum, prophetiæ, miraculorum &c. de quibus Scholastici cum S. Thoma 1. 2. Q. III. a. 4. & 5. per posteriorem intelligitur Gratia justificans & gratum faciens vel formaliter, ac permanenter, ut facit gratia habitualis, vel dispositivè ac transeunter, ut facit gratia actualis; de hac nunc: de illa post agemus.

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. **D**octrina prima. Gratia Actualis est bona cogitatio in humano intellectu divinitus excitata ad voluntatem à malo abstrahendam & ad bonum inclinandam præsertim tempore tentationis. Explico ex Danielis c. 13. Cum Susanna uxor Joachim à duobus impuris senibus ad adulterium sollicitaretur cum mortis comminatione, ni voluntati eorum obsequeretur, cepit ejus voluntas metu mortis concussa trepidare. Tum repente Deus suggestit illi bonam cogitationem de sua præsentia, & omnium scientia, quæ cogitatione voluntas roborata se refolvit potius morti, quàm peccare, ut diceret v. 25. *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Hæc cogitatio Dei præsentis & omnia vi-

nia videntis fuit Actualis Gratia, cujus virtute peccatum vitavit metu mortis superato, & insigni actu Charitatis exercito, quod mallet mori, quam Deum offendere. Aliud pertinens ad desiderium boni habemus in Davide. 1. Paralip. 17. v. 1. qui splendorem sui palatij considerans, & Arcæ Dei sub pellibus latentis vilitatem contempnans cepit cogitare de templo extruendo: *Eccē ego, habito in domo cedrina, Arca autem federis Domini sub pellibus est; quasi diceret, nonne hoc est turpe, me habitare tam splendide, & Arcam DEI tam abjectè asservari? quæ cogitatio de Majestate Dei fuit Gratia Actualis in ejus voluntate excitans reverentiam DEI, & desiderium honoris ejus per extruccionem magnifici templi promovendi.*

II. Hujusmodi cogitationes piæ seu Gratia Actualis in SS. Litteris appellantur varijs nominibus. 1. dicuntur Illuminationes, quia spirituale lumen cognitionis intellectui humano impertunt. Joannis 1. v. 9. *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* 2. Inspiraciones, quasi taciti susurri in auriculam Job 32. v. 9. *Inspiratio omnipotentis dat intellectui gratiam.* 3. Vocaciones, quia, hominem ad Deum vocant. Proverb. 1. v. 24. *vocavi & renovisti* 1. Corinth. 1. v. 26, *videte vocacionem vestram.* 4. Locutiones Osee. 2. v. 14. *loquar ad cor eius.* 5. Tractaciones Ioan. 12. v. 32. *omnia traham ad me ipsum.* Joan. 6. v. 44. *nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* 6. Excitaciones quasi dormientium. ad Ephes. 5. v. 14. *surge qui dormis, & illuminabit te Christus.* 7. Impulsus Apocal. 3. v. 30. *Ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi januam, intrabo per illam; quem etiam impulsit Suarez Part. 2. de gratia L. 3. c. 7. n. 7. indicari ait à Tridentino Sess. 7. c. 5. ubi dicitur vocatio ad justificationem fieri tangente deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem.*

III. Iftas cogitationes bonas interdum Deus immediate per se excitat non adhibita causâ secundâ: interdum mediatè per causas secundas, sive per Angelos, qui species phantasiæ commovent, & per naturalem sympathiam intellectus cum imaginatione etiâ cogitationes excitant præsertim in Somnijs, sicut Angelus dormienti Joseph est locutus, Math. 2. v. 13. sive per homines, Doctores, Scriptores, Monitores. &c. sive per objecta sensibilia, v. g. conspectum cadaver excitat memoriam mortis, & rerum humanarum vanitatem ostendit, ex quo gignitur contemptus mundi &c. Ex istis cogitationibus plerumque oriuntur indeliberati motus voluntatis, vel inclinationes ad bonum, vel retrahentes à malo; atque utrosque hosce actus tam intellectus scilicet, quam voluntatis significari nomine Gratia & Auxilia actualis, & istud per illos adæquatè constitutum, communiter tenent Theologi, & apertè traditur à Concilio Arausicano 2. Can. 7. ubi docet, *nullum posse consentire predicationi evangelicæ, neq; bonum aliquid eligere absq; illuminatione & inspiratione spiritus s. qui dat omnibus suavitatem in consentiendo.* Quamvis autem prædictos actus in nobis producat Deus, potentij nostris etiam physice concurrentibus, hoc ipso quod sint vitales, rectè nihilominus dicitur Deus producere illos in nobis sine nobis; ex qua etiam causâ benè ab Arausicano dicitur *homo eosdem non facere; quia cum de homine fermo est, iste operari & agere*

non dicitur, nisi agat humano modo, id est liberè.

IV. *Doctrina secunda.* Prædictæ Gratia & Auxilia divina non cogunt aut necessitant hominem ad assentiendum, sed tantum suadent & alliciunt, ut pro suâ libertate vel acceptare possit consentiendo, vel respuere negligendo. Ita Omnes Catholici Doctores Probatur 1. ex Sacra Script. Isaia. 5. v. 4. *quid est quod vitra debui facere vineæ meæ, & non feci? an quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Psal. 94. v. 8. *hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Math. 22. v. 3. *nisi vocare invitatos ad nuptias, & volebant venire.* 2. ad Corinth. 6. v. 1. *exhortor vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Probatur 2. ex Concilij. Trident. Sess. 6. c. 5. *tangente Deo cor hominis &c. inspirationem illam recipiens abijcere potest.* Idem can. 4. *si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum &c. non posse Deo dissentire, si velit, anathema sit.* Senonense Anno 1528. decreto fidei 15. non est tale trahentis gratia auxilium, cui resisti non possit. Probatur 3. ex PP. S. Augustinus Lde Spirit. & Litt. c. 34. *Misericordia Dei pravenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab eadem dissentire nostra voluntatis est.* Prosper L. 2. de vocat. gent. c. 12. *quod non potest, inquit, nisi cooperante Spiritu Dei fieri, eorum meritis deputatur, quorum id voluntate potuit non fieri.* S. Anselmus in c. 6. Math. in Paulo ait, *videtur cogens Dei voluntas, sed non est, quia licet sit percussus, tamen voluntate erat liberâ, ut resisteret, si nollet.* Similia testimonia plura ex S. Scripturis, Concilij, & PP. habentur passim. Probatur 4. Ratione. Si nolle ac velle divinæ prorsus non humanæ est potestatis, & Deo adferendum, quod homo agat vel non agat, atque hoc potius, quam illud præstet. Ergo irrita erit omnis Dei per se suosque Pastores admonitio increpatioque. Nam quomodo monere potest Deus, ut nos salutem operemur, convertamur, aperiamus pulsanti, si ipse solus in nobis operatur, convertit, aperit? quomodo increpare poterit his verbis: *volui, & nolulistis: extendi manum, & renovistis: dedi spiritum, & resististis;* cum illo per datam gratiam serid volente, manum extendente, spiritum dante, nemo nolle, renuere, resistere valeat? aut si istud fecerit, adeoque noluerit, certum sit, Deum noluisse, & consequenter (quod horrendum.) fallere & mentiri? quomodo dicimur *laborare cum gratia, cooperatores Dei esse, necessitatem non habere, sed potestatem Deum sequendi,* nisi liberè voluntas præstet, quod potuit omittere, aut non præstet, quod exequi potuisset? ut jam diximus in priori controversia,

V. Concedit Amesius tom. 4. fol. 75. cum Calvinistis, hominem in prædictis habere naturalem arbitrij libertatem: negat verò, eum absque gratia regenerationis vires habere idoneas ad Spirituality opera pietatis præstanda. Ergo habemus intentum per illud prius; quippe aliud non contendimus, quam in pijs operibus iustificationem præeuntibus nos habere libertatem; hoc si admittunt Calvinistæ, quâ ratione negare poterunt istud posterius, nos ante gratiam regenerationis non habere vires idoneas ad illa pia opera, quæ ad recipiendam regenerationis gratiam disponunt? aut quomodo hæc duo sibi coherent? Gerhardus similiter L. 2. Part. 3. fol. 538. cum Lutheranis concedit, libertatem in ho-

mine ad pia opera iustificationem antecedentia, quando Deus eidem contulit vires bene operandi. Ergo iterum habemus intentum; siquidem prædictis viribus supernaturalibus non dicimus ex natura nostra superaddi libertatem, ut nugarur Gerhardus, sed ita gratiam seu vires supernaturales homini concedi asserimus, ut illa liberam huius voluntatem alliciat, suaviterque trahat, non autem suppressâ aut sublatâ libertate ita eandem necessitet ad consensum, ut iste soli Deo sit attribuendus.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

VI. Error primus est Pelagij, qui præter nudas liberi arbitrij vires & externam legis & doctrinæ gratiam non admittebat ullam aliam gratiam internam, quæ inus illuminet, excitet, moveat, bonam voluntatem inspiret, eamque in opere adjuvet, & cum ea opus bonum perficiat. Verum de hoc errore pluribus infra agemus. Hoc obiter notasse nunc sufficit, gravissimâ à Jansenio fieri inoposturâ affirmante, omnem gratiam etiam internam, quam admittunt Theologi Societatis JESU, non esse aliam, quam qualem admisit Pelagius, nec in modo operandi ab illius gratia differre. Nam Societatis Theologi mordicus quoad hoc punctum de gratiâ defendunt id omne & solum, quod concilia Arausicanum, Milevitanum & Tridentinum; item SS. Patres tradiderunt, adeoque affirmant, hominem per vires naturæ id posse, quod Concilia & Patres affirmant, eundem per vires naturæ posse: negant verò hominem absque gratia posse ea, quæ Concilia & Patres eundem sine gratia posse negant. Aut proferat Jansenius unum ex omnibus Theologis Societatis, qui eandem cum Pelagio doctrinam contra Concilia & Patres tueretur. Quomodo ergo doctrina Theologorum Societatis non est alia, quam qualem admisit Pelagius?

VII. Error secundus est Cornelij Jansenij Episcopi Iprensis, qui docet, non posse hominem gratiæ resistere, si velit, adeoque absolute necessitari sive ad bonum, si gratiam habeat, sive ad malum, si illâ careat. Est iste ipsissimus etiam error Calvini L. 2. Inst. c. 2. §. 10. Rursus in antidoto Sess. 6. §. porro, & in can. 4. ejusdem Sessionis. Item Lutheri de servo arbitrio, atque aliorum. Sic autem scribit Jansenius Tom. 3. L. 2. c. 5. col. 103. Nullum adiutorium gratiæ, cujus usus ita ponitur in arbitrio voluntatis, ut illo utatur, aut non utatur: ut illud amplectatur, aut deserat: ut illi consentiat aut non consentiat, si voluerit, ad medicinale adiutorium (hoc est veram gratiam Christi) ullo modo pertinere potest. Et ibidem c. 4. col. 97. Adiutorium gratiæ ante lapsum Adæ tale erat, ut ab ipso libera voluntatis nutu penderet, salvâque maneret illa libertatis in utramque partem flexilis indifferentia: nunc verò tale est, quod supra efficiat, faciat influere facultatem, nec ipsius libero arbitrio subiaceat: sed hoc ipso, quo datur, simul usus ejus & influxus datur, sicuti hoc ipso, quo adest iustitia, fit iustus animus. Probant isti omnes communem sibi errorem primò ex illo Ezechiel. 36. v. 26. Auferam à vobis cor

lapideum, & dabo vobis cor carneum &c. ex quibus verbis sic argumentantur. Cor lapideum non habet in potestate suâ fieri carneum. Sed voluntas hominis peccatoris est cor lapideum. Ergo non habet in potestate suâ fieri carnea, id est, spiritualiter bona per regenerationem. Confirmatur 1. homo non cooperatur ad illud, quod in ipso creatur à Deo. Sed cor novum in homine creatur à Deo apud eundem Prophetam cap. 11. v. 19. 2. Peccatores in Script. dicuntur mortui in peccatis Joan. 5. v. 25. ad Ephes. 2. v. 1. ad Colof. 2. v. 13. Ergo ut tales cooperari Deo non possunt, sed ut vitalem à Deo virtutem habent. 3. homo peccato depressus non attingit divina ac supernaturalia. 1. ad Corinth. 2. v. 4. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus. Probant secundo ex Patribus. Cælestinus I. Papa in epist. ad Episcopos Galliæ scribit, Ita Deum in cordibus hominum atque in ipso libero arbitrio operari, ut Sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonus voluntarius ex Deo sit. S. August. relatus capit. refuscitatus dist. 1. dicit, cum Deus sit vita anime: anima verò corporis, sicuti corpus vivere non potest absente anima, ita non nisi Deo presente anima vivere valet. D. Basil. Homil. de humilit. pluribus ostendit, Deum gratiâ sub omnia in nobis operari, allegans in hunc finem illam sententiam Pauli 1. ad Corinth. 4. v. 7. quid habes quod non accepisti? Probant tertio ratione, Tum quia liberum hominis arbitrium secus, atque ex opposito se habet ante lapsum, ac post istum. Ergo sicuti gratia prius pendebat à nutu liberi arbitrij, ita istud nunc subiacet efficaciam illius. Tum quia si libertati usus & non usus gratiæ subditur, non jam est adiutorij genus aliud, quam possibilitatis, uti asserbant Pelagiani; unde Pontificij Doctores, inquit Hanneken, doctrinâ suâ validam manum Pelagianis porrigunt. Tum quia peccator non potest à se repellere gratiam, scilicet divinam, quam non habet in manu sua. Plura argumenta ex Sac. Script. Patribus ac Concilijs accumulata Amef. Tom. 4. à fol. 80. Gerhard. L. 2. Part. 3. suæ Confess. à fol. 542. Meno Hanneken in suo Iren. à fol. 796. & alij Sæctarij, sed quæ vera cum istis coincidunt, & ex responsionibus ad ista solvi facillime possunt.

VIII. Error iste, in quem, ut diximus, præter Calvinistas & Lutheranos olim, nunc etiam Jansenistas præcipites eunt, satis rejectus vit in priore controver. part. post. Er tunc Concilium Trident. (quod post cætera Concilia accuratissime omnia ad auxilia gratiæ spectantia tradidit) definiat hominem à gratia præveniente excitatum eidem gratiæ liberè assentiri, ac cooperari, sic ut illam etiam abijcere possit, nempe non cooperando, atque anathemate percutiat dicentem: liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari, nisi posse dissentiri, si velit, male omnino Jansenius tale adiutorium à Gratia excludit. Cum Concilio Trident. stant orthodoxæ Ecclesiæ veteres Doctores ita apertè pro libertate voluntatis humanæ in actibus supernaturalibus etiam post lapsum Adami, ut ipsimet Protestantes fateantur, prædictos Patres sibi in hoc articulo adversari. Calvinus L. 2. Inst. c. 3. §. 7. hoc, inquit perperam homini tribuitur, quod gratia prævenienti pedisset quâ voluntate obsequatur, ideo non rectè à Chrysostomo scriptum est, nec gratiam sine voluntate, nec voluntatem sine gratiâ quâquam operari posse. Centuriatores Magdenburgenses in præfat. de 2. Sæculo Apostolis proximo sic habent. admiratione & deploratione dignum est, quod

quod tam cito magna observationes magnorum articulorum fieri solum inciderunt; nam doctrina de libero arbitrio statim hoc seculo cepit vitari, nimirum, viribus humanis tributum est. Paræus in Comment. in Apocal. c. 6. v. 5. quoniam, ait, & præcipui Patres Græci & Latini Ambrosius, August. Hieron. Chrysostomus aliquot exinde hausisse errores de matrimonio, calibatu, de gratia & libero arbitrio &c. Pro solutione argumentorum inoppositum adductorum. Revocandum est in memoriam id, quod supra jam insinuavi, nimirum aliud esse, hominem non habere in potestate suâ gratiam vocantem seu excitantem ad operationes bonas: aliud eundem non habere in potestate suâ, ut oblatam à Deo gratiam respuat aut acceptet, eique coöperetur; prius concedimus, posterius negamus, utrumque conformiter S. Scripturæ, Concilij, ac Patribus. Item aliud esse, hominem in peccato mortali constitutum posse facere operationes proprias filij adoptivi: aliud eundem cum auxilijs gratiæ posse per potentias suas vitales actus supernaturales elicere, sequè ipsi disponere ad regenerationem filiationem adoptivam, atque hæreditatem Dei; prius negamus; posterius affirmamus, utrumque iterum conformiter Sac. Scripturæ Conciliorum ac Patrum testimonijs. Hoc posito.

IX. Respon. 1. Ad 1. probationem ex Sac. Scriptura 1. cor lapideum idem esse, ac durum, intractabile, ac inexorabile, adeoque per metaphoram cordis lapidei non accipi, nisi pro obduracione in peccatis, quæ sine dubio voluntaria est, & volens coöperari gratiæ excitanti, & adjuvanti potest illud mutare in cor carneum, hoc est, molle, mobile ac flexile, ut locum istum interpretatur Tiranus ex S. August. Hieron. Theodoro & alijs Patribus. 2. juxta sensum etiam Adversariorum ex prædictis verbis aliud non evinci, quam, non posse hominem in mortali peccato constitutum absque auxilijs gratiæ inde liberari & ad regenerationem aspirare, cum his verò posse; siquidem peccator vires ad vitaliter operandum semper retinet. Ad 1. confirmationem concedimus totum de creatione, seu infusione gratiæ habitualis seu justificantis, quod sine dubio est solius Dei; quid verò hoc contra nos, qui dicimus, homines per opera pietatis auxilijs divinis adjutos disponi congruè ad illam gratiæ justificantis infusionem. Ad 2. distinguendo; ergo ut tales operari non possunt per principium habituale supernaturale actiones meritorias vitæ æternæ, concedimus: per principium actuale supernaturale opera pietatis congruè disponentia ad justificationem, negamus consequentiam; distinctio hæc ex infra dicendis constabit. Ad 3. Sensum esse Apostoli juxta Tiranum & alios, hominem, qui solum animam seu animale intellectum ductorem sequitur, quique solius animæ naturali lumine nititur & ducitur, non capere & assequi posse, quæ sunt propria Spiritus DEI, id est, divina & spiritalia mysteria, quæ discutienda sunt per rationes non à lumine naturali intellectus, sed fidei & Spiritus Sancti ministratas, quas idcirco homo animalis non percipit. Et quid inde contra nos, & coöperationem liberi arbitrij cum divinâ gratiâ?

Respon. 2. Ad 2. probationem ex Patribus. Quoad Cælestinum Papam, nulli dubium esse, Sanctam cogitationem, pium consilium, omnemque motum bonum voluntarium ex Deo esse; ex hoc autem

minimè sequitur, Deum ita in nostro libero arbitrio hæc operari, ut istud nihil coöperetur, nec resistere possit, si velit; quod tamen erobandum, & alienissimum est à Cælestino Papa. Ex capitulo resuscitatus non etiam inferri, hominem gratiâ justificationis, seu Spirituali habitatione Dei destitutum, destitui quoque viribus naturalibus liberi arbitrij, ut per has non possit auxilijs actualibus gratiæ excitantis & adjuvantis coöperari, aut resistere, si velit. Itaque S. Augustinus in loco cit. aliud non intendit, quam hominem gratiâ justificationis destitutum, hoc ipso etiam destitui viribus ad functiones vitæ spiritualis, hoc est, operationes meritorias, quod non est contra nos. Quando verò idem S. Pater L. 2. de peccatorum meritis c. 5. dicit, *adjuvari non posse, nisi qui aliquid sponte conatur*, non patitur se trahi in eum sensum, ut volunt Adversarij, quasi solum velit, Deum bonam voluntatem in homine creare: non autem, ut liberè velit coöperari; nam eodem loco ait: *si non esset operator, ille non esset coöperator*. Et quia L. de Spiritu & Lit. c. 34. supra cit. scribit, *consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire nostra propria voluntatis est*, nihil clarius est apud S. Augustinum, quam hominem in conversione sua habere liberam voluntatem, & gratiæ Dei coöperari posse. S. Basilius bene facit, omne bonum in nobis gratiæ Dei adscribendo, idque conformiter D. Paulo 1. ad Corinth. 4. Sed ex hoc nequaquam sequitur: Ergo hominis voluntas non concurrat liberè in conversione sua cum gratia Dei vocantè & excitante. De reliquo D. Basilius expressè ait, *voluntatem hominis in conversione suâ non prorsus esse otiosam sed aliquid operari*, ideoque hæc ipsius verba rejiciuntur in Lib. Concord. Tit. de bonis operibus. & lib. arb. quem Lutherani pro fide suâ explanatione evulgarunt.

XI. Respon. 3. Ad 3. probationem ex rationibus. Ad 1. Liberum hominis arbitrium post lapsum Adami non esse penitus in nobis destructum, sed solum imminutum ac defectum, ut supra dictum. Ad 2. cum S. Tridentinum Concilium utique nobis Pelagianum errorem non obrudat; non aliam autem describat gratiam, quam quâ Deus hominem præveniat, excitet, moveat, illuminet, cor tangat, & bonum inspiret, atque de omnibus his dicat, hominem à Deo motum & excitatum *dissentire posse, deesse posse, abijcere posse*, oportet planè, eam gratiam, quam abijcere, & cui dissentire, ac deesse quis potest, veram Christi gratiam esse à S. Scriptura traditam, à S. S. Patribus assertam; ab universa Ecclesiâ (quæ columna est veritatis) omnibus retrò sæculis retentam, assertam, & approbatam. Unde negamus, non jam aliud esse adjutorij genus, quam possibilitatis. Et Meno Hanneken alijque Sectarij absque fronte effutiunt, Pontificios Doctores hæc doctrinâ suâ validam manum porrigere Pelagianis. An etiam D. Paulus manum derendit validam Pelagianis, quando 2. ad Corinth. 6. v. 1. adhortatus est, *ne in vacuum gratiam Dei recipereamus*, id est, sine effectu & sine, ad quem data est, careret? Item S. Stephanus Actor. 7. v. 51. cum dixit: *dura cervice & incurvatis cordibus, vos semper Spiritui Sancto*, id est, gratiæ resistitis; quippe probè novit uterque, gratiam effectu carere, & resistere illi nos posse? Ad 3. Loquendo de gratiâ actuali (de habituali non est in præsentibus quæstio) vocante, excitante, verum esse, quod homo

homō non habeat eam in manu sua, quasi a Deo debitam; ac si eandem gratiam Deus misericorditer offerat, falsum esse, quod homo pro libertate suā illam a se repellere nequeat. Quid enim aliud est, gratia resistere, non consentire, desse, dissentire, eam abijcere, destituere suo effectu, non aperire pulsanti, quæ in Sacris Litteris Concilij, ac Patribus de gratia actuali toties affirmantur, quàm gratiam actualem a Deo concessam repellere a se?


XII. Ipsimet Sectarij insuperabilem hinc habent difficultatem. Dicunt, peccatorem converti ac regenerari a Deo, nisi hujus ordinationi & operationi ille se malitiosè protervè & insolenter se opponat, Deumque a se abigat, si in impenitentia ac infidelitate sua persistat. Quæro igitur, habuitne peccator ille, qui non regeneratur & non convertitur, aliquando in manu sua Dei gratiam, operationem, ac creationem novi cordis in se, vel non? Si primum. Ergo habuit voluntatem liberam, quâ hanc a se repulit, & culpâ suâ non est conversus ac regeneratus. Si alterum. Quomodo malitiosè Deum ejusque gratiâ & operationem a se amovit, si non habuit illam unquam in manu suâ? possumne id abijcere, ut inde malitiosus dicar, quod nunquam habui? Quare haud injustè talis peccator conqueri & dicere Deo possit: reijcis me, & damnas, quod me non converterim, non crediderim &c. & tamen hanc conversionem & regenerationem nunquam in manu mea habui; si enim habuissem, hoc ipso jam conversus ac regeneratus essem; tu quippe totum in me operatus fuisses, ego verò tantum passivè me habuissem, nec potuit tuæ motioni resistere potuissem. Quis autem persuadere sibi possit, Deum ita vanè & illusoriè peccatores ad pœnitentiam, conversionem, ac fidem vocare, atque etiam impœnitentes ac incredulos æternum damnare, ut isti justissimè conqueri de illo valeant? Sed de hoc plura infra.



CONTROVERS. XLVIII.

DE GRATIÆ ACTUALIS, divisione.

Non uno eodémque modo Deus hominibus suam elargitur Gratiam; licet enim omnibus bene velit, nullique desit, dubitari tamen non potest, unum alio plus ab eodem diligi, majorique gratiâ donari, juxta illud Malachia 1. v. 2. *Jacob dilexi: Esau autem odio habui, hoc est, minus dilexi.*



PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

1. *Doctrina prima.* Gratiarum Actualium, de quibus in priori controversia, alia est sufficiens: alia Efficax. Sufficiens tantum est, quæ suo frustratur sine, & liberum consensum, quem petit, non impetrat, licet ad impetrandum

ex suo nomine sufficiat. Efficax est, quæ fortitur effectum, & quidem non casu, sed infallibiliter v. g. plurimi auditores interfunt concioni, in quâ suadentur virtutes, & vitia dissuadentur, DEO cooperante, & in animis eorum bonas cogitationes excitante, sine quibus externa verba prædicationis nihil efficerent, ut ait S. Augustinus L. 15. Civit. Dei c. 101. & tamen non idem effectus apud omnes sequitur, sed aliqui sine fructu abeunt, qui habent gratiam tantum SuffICIENTEM: alij verò dictis obtemperant, qui habent gratiam EFFICACEM. Unde fit

II. *Doctrina secunda.* Etiam post Adæ lapsum præparatur a Deo, & offertur omnibus hominibus Gratia verè sufficiens, perquam infideles ad fidem converti, peccatores è sceleribus resurgere, præcepta servare, peccata vitare, & in justitia perseverare possunt; si gratiâ ipsimet non desint, quæ tamen efficax sic non est, ut per eam re ipsâ convertantur. Ita cum S. Thoma. 128. Q. 106. art. 2. & pluribus alijs locis Theologi communiter. Probatur doctrina hæc, catholica i. ex Scriptura Isa. 5. v. 4. *Quid est, quod ultra debui facere vinea mea, & non feci ei? an quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit lebrusca?* Ezech. 18. v. 23. & 32. *nunquid voluntatis mea est mors impij, dicit Dominus Deus: & non ut convertatur à vijs suis, & vivat? Quare moriemini domus Israël? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus, revertimini & vivite.* Rom. 10. v. 21. ex Isa. 65. v. 2. *extendi manus meas tota die ad populum non credentem & contradicentem.* In his & pluribus similibus locis Sac. Scripturæ Deus conqueritur, quod peccatores ab ipso vocati ad pœnitentiam converti noluerint. Sed non justè quereret de illis, nisi habuissent auxilium sufficiens ad pœnitentiam agenda. Ergo &c. Omitto innumeros alios locos, quibus DEUS dicitur lux, salus, & propitiatio omnium; ac nolens aliquos perire, ut ait S. Petrus epist. 2. c. 3. v. 9. sed omnes ad pœnitentiam reverti; quæ omnia testimonia gratiam sufficientem omnibus omnino dari luculenter ostendunt.

Probatur 2. ex Concilij & Patribus. Arausico- num II. can. 25. statuit, *Omnes Baptizatos posse, quæ ad salutem pertinent, exequi, si velint.* Trid. Sess. 6. c. 5. & 14. item 29. ubi doctrinaliter ita universaliter statuit, *Homines per peccatum a Deo averti per ejus gratiam ad justitiam se disponere: & gratiam lapsi per peccatum amissam recuperare: & post peccatum lapsi resurgere posse.* D. Augustinus L. 83. QQ. quæst. 83. ad illam cenam, inquit, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt: nec illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocati: Itaque nec illi debent sibi tribuere, quod venerunt, quia vocati venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam, ut venirent vocati, erat in eorum libera potestate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur; qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmij, ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicij, cum vocatus venire neglexerit. Ita S. Pater; Sibi autem nemo tribuere deberet, quod vocatus non venerit, si gratia defuisset, peccatam venire potuisset. Similia habent alia Concilia & Patres, quæ apertè supponunt gratiam sufficientem. Probatur 3. Ratione. Tum quia, ut post lapsum etiam Adæ omnibus hominibus tam justis, quàm etiam injustis detur gratia verè sufficiens, quæ & hi ad justitiam pervenire, & illi in eadem perseverare possint, exigat Christi Redemptoris Mediatorisque omnium Munus & Officium,

ficiam qui sanè Redemptor omnium non esset, nisi omnibus salutis media compararet. Tum quia nisi homo, qui non convertitur, haberet auxilium sufficiens ad conversionem, non illi vitio verteretur, quod non convertatur; sicut enim non computatur ad culpam, quod aliquis ex ignorantia invincibili aliquid immitat, ita nec ille culpandus est, qui ex impotentia non efficit id, quod illi præceptum est.

IV. *Doctrina tertia.* Illa solum gratia dicitur absolute & verè sufficiens, quæ sufficit non tantum, ut homo utcuq; operari posse dicatur, sed etiam, ut actu operetur, si velit. Ita omnes Theologi præter Thomistas, qui admittentes prædeterminationem voluit auxilium illud esse verè sufficiens ad operationem, quod tribuit posse operari, etsi necessariò requiratur aliud auxilium realiter à sufficienti distinctum, ut quis actu operetur. Probatur doctrina nostra. Tum quia cum potentia ordinetur ad operationem, & non nisi propter illam detur, ex communissimo hominum sensu & usu ille non dicitur habere facultatem verè ac proximè sufficientem ad aliquod agendum, qui caret principio aliquo proprius necessario, ut actu operetur; sic enim homo v. g. non aliter dicitur habere sufficientem & proximam potestatem ad ambulandum, nisi quia habet, quidquid requiritur, ut actu ambulet, si ambulare velit. Tum quia illud aliud auxilium requisitum vel habet adjunctam formam physicè prædeterminantem, vel non? Si prius, jam non est gratia sufficiens, sed proxima & efficax, quia infallibiliter secum trahit effectum: si posterius nondum est verè sufficiens, sed iterum aliud requirit, de quo eadem redit Quæstio &c.

V. Objici potest. Homo justus dicitur habere auxilium sufficiens ad perseverandum, ut ex Tridentino Sess. 6. c. 13. docent Theologi, & tamen ille non habet, quidquid ad perseverandum actu præcisè ex parte principij requiritur, cum successu temporis alia & alia auxilia ad perseverandum exigat. Pro solutione supponendum ex communi Theologorum; auxilium actuale aliud esse remotè, aliud proximè excitans, & eà proportione sufficiens, ita ut ea gratia, quæ proximè excitat ad actum eliciendum, det etiam vires proximè sufficientes ad eundem actum: quæ verò tantum remotè ac mediata opus aliquod excitat, ad illud ipsum etiam exequendum non nisi mediata ac remotè conferrat. Nunc respond. ad objectionem, Justum tantum habere auxilium remotè sufficientem ad perseverandum; Nos autem hic loquimur de gratia, quæ sit proximè sufficiens ad aliquem actum, & contendimus eam talem esse debere, ut nihil illi desit ex parte principij ad agendum. Sed de hoc pluribus infra, ubi ostendemus, quomodo Deus omnes velit salvos.

VI. *Doctrina quarta.* Gratia Sufficiens ad conversionem non datur quovis tempore; est tamen omnibus semper parata ad novum peccatum vitandum, quod sine illa vitari non potest Ita Gregorius de Valentia, Vega, Tiedo, Pererius, Vasquez, Tanner, Tom. 2. disp. 6. q. 2. n. 17. Bellarm. L. 2. de grat. & lib. arb. c. 7. & communiter, Catholici DD. Ratio prioris partis est, quia gratia sufficiens consistit aliqua saltem ex parte in motibus indeliberatis gratiæ excitantis seu prævenientis, ut supra diximus; experientia autem constat, ejusmodi motus non semper nobis adesse;

siquidem Deus non continuò mentem nostram Sanctis cogitationibus illuminat, affectumque accendit per desideria bona ad penitentiam de peccatis agendam; Ergo non quovis temporis momento gratia ad conversionem sufficiens nobis tribuitur. Ratio posterioris partis est; quia nisi haberent homines auxilium sufficiens ad vitandum peccatum, non peccarent; nemo quippe peccat in eo, quod vitare non potest, ut docet S. August. L. de peccatorum meritis & remiss. c. 33. aliisque in locis. Atqui homines etiam indurati & excacati peccant liberè mandata Dei transgrediendo ut docet Apostolus ad Romanos 2. v. 5. *Secundum autem duritiam tuam & impenitentem cor thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justis iudicij Dei.* Ergo sic auxilium sufficiens ad vitanda peccata habeant oportet.

VII. Obstat videtur Sac. Scriptura Matth. 26. v. 41. jubens nos orare; *ne intremus in tentationem.* Atqui hoc foret superfluum; si gratia sufficiens semper adesset ad superandam tentationem. Respond. non obstat. Nam peccatores, ut paulò ante insinuavi, non semper habent gratiam sufficientem proximam; cum Deus hanc non semper det, sed offerat mediante remotà, hoc est, det auxilium ad aliquod opus bonum v. g. orationem; cui auxilio si consentirent, Deus gratiam proximam largiretur ad penitentiam, conversionem &c. Quare minimè superfluum est, orare, ne intremus in tentationem; quia per auxilium tale remotè sufficiens, quod semper, dum tentamur, adest, obtinere possumus illud, quod ad superandam tentationem & peccatum vitandum proximè & immediatè sit sufficiens.

VIII. *Doctrina quinta.* Gratia Efficax, quæ, ut diximus, sortitur effectum infallibiliter, varijs nominibus explicatur, & commendatur à S. Augustino. Nempe Primò appellatur *Vocatio alta & secreta* epist. 107. Secundò. *Vocatio, quæ sic agit sensum, ut accommodet assensum.* ibidem. Tertio. *Magna & Efficacissima Vocatio.* L. de grat. & lib. arb. c. 5. Quarto. *Gratia Occulta, quæ à nullo duro corde resistitur.* Lib. de Prædest. Sanct. c. 8. Quintò. *Gratia, quæ ita suadet, ut persuadeat.* Lib. de Spirit. & Lit. c. 34. Sextò. *Certa Scientia & Victrix tentationum.* Lib. 2. de Peccat. merit. & remiss. c. 19. Septimò denique: *Gratia, cui nullum resistit liberum arbitrium.* Lib. de corrept. & grat. c. 14. Ex quibus facile apparet, Gratiam Efficacem in duobus consistere; nimirum *in Vi effectiva, & Infallibilitate;* illud prius commune habet cum gratia Sufficiente: istud posterius autem peculiare, ut proinde auxilium sufficiens non quidem distinguatur realiter, seu quoad entitatem, aut vim agendi ab Efficaci, sed tantum moraliter, seu per ordinem ad operationem securam. Unde autem Infallibilitas ista Gratiæ Efficacis desumatur, gravis est inter Scholasticos quæstio non omnino hic prætereunda. Itaque

VIII. *Prima Sententia* M. Dominici Bannez. t. P. q. 14. a. 13. & RR. Thomistæ constituunt divinæ gratiæ Efficaciam seu Infallibilitatem in prædeterminatione physica, quæ sit qualitas seu forma his conditionibus prædita. 1. Est adæquate intrinseca operanti. 2. habens se ex parte actûs primi proximi; unde apparet simpliciter antecedens operationem liberam; quantumvis hoc non omnes Thomistæ concedere velint. 3. data à Deo ita gratuito & merè ad beneplacitum, ut eam habere

nullo modo sit in nostra potestate. 4. Simpliciter necessaria ad operandum. 5. denique essentialiter est connexa cum nostro consensu, ita ut non possit voluntas cum illa conjungere negationem consensu. Ista omnia à prædicto Auctore ad prædeterminationem requiri, testatur Suarez. L. 1. de auxilijs, & alij. Doctrinæ huic universum Patres Societatis nostræ gravissimè se opponunt, eamque non ita consentaneam Concilij, Patribus, ac nominatim S. Thomæ fufissimè ostendunt. Nos omiffis censuris & Scholasticis disputationibus, breviter solummodo aperiemus quadruplicem certitudinem Fidei circa gratiam efficacem, & mox calamum restringemus, ne ulterius excurrat, id aliorum cogitationibus relinquendo. Itaque *Prima* certitudo Fidei est, Gratiam Efficacem non nocere libertati, sive quoad potentiam, sive quoad usum, ut ex dictis constat. *Secunda* est, hominem posse Gratiam Efficacem resistere, eamque divinitus concessam à se repellere, ut itidem ex dictis patet. *Tertia* est, eum, qui non convertitur, adeoque qui caret Gratiam Efficacem, posse converti, ac proinde habere Auxilium Sufficiens, ut convertatur, si velit, sicuti iterum constat ex eis, quæ de Gratia sufficiente paulò ante diximus. *Quarta* denique est, Lutherum, Calvinum, & post istos Jansenium Irensem errasse, quantum ad vim ineluctabilem, & fatalem necessitatem (tenentem se ex parte actus primi, seu voluntatis ad operandum proximè expeditæ) quam tribuebant Gratiam Efficacem; siquidem quoad hoc in Concil. Trid. Sess. 6. c. 5. & can. 4. Item in Bulla Innocentij X. & Alexandri VII. damnati fuerunt.

IX. *Secunda Sententia* Mascarenæ D. 3. P. 4. à n. 1. & aliorum apud Tanner Tom. 2. D. 6. q. 2. n. 54. ponit Gratiam Efficacem in determinatione quadam Morali, sive tali gratiam cum libero arbitrio congruitate, & cum certis ex parte subjecti affectionibus ac dispositionibus attemperazione, ut voluntatis consensus positâ tali vocatione infallibiliter sequatur. Verùm talis moralis connexio cum consensu non sufficit. Tum quia prædestinatio habet metaphysicam connexionem cum nostra salute. Ergo ipsa quoque gratia similem habebit; est quippe medium ad nostram salutem, quod si destitui posset nostro consensu, à quo dependet nostra salus, etiam prædestinatio tandem in nostram salutem per tale medium non foret infallibilis. Tum quia gratia moraliter necessitans vehementissimè ad consensum impelleret, cujus tamen oppositum experientia docet, siquidem honestè & maximè meritorie multi cum magna repugnantia operantur.

X. *Tertia Sententia*, quæ apud Tanner Q. 2. cit. n. 76. tribuitur Molinæ, Vasq. Lessio & alijs, docet, Efficacem Gratiam esse illam, cui voluntas pro sua libertate coöperatur: illam Inefficacem, cui non coöperatur. Accipit ergo gratiam Efficacem, & Efficientem sive actu coöperantem pro eodem. Addit Tanner, omnes istos Auctores loqui de coöperatione non sub conditione futura, aut à Deo prævisâ, sed de præfenti vel absolute futura. Sed contra hanc doctrinam est, quod gratiam efficacem explicet per ipsum actum secundum & actualem coöperationem, adeoque confundat Gratiam efficacem cum efficientia; etsi enim verum sit, Tò efficax significare quandoque actum secundum, & idem esse, quod in actu secundo efficiens, ut cum dicitur

oratio est efficax, quia de dacto impetrat quod petit; proprie tamen & communiter tò efficax significat virtutem, & aliquid habens se aliquo modo ex parte actus primi. Sic dicitur medicina efficax, quæ licet neque fumatur ab ægrò, neque quidquam actu operetur, est tamen potens & reipsâ conferet sanitatem, si fumatur; Hoc posteriori modo & sensu proprio disputatur, quid Gratia Efficax ex parte actus primi importet, per quod à merè sufficienti distinguatur? & ita sumi à S. Augustino ex innumeris locis probari potest.

XI. Pro vera Sententia rite intelligenda supponendum ex communi doctrina maximè PP. Societatis, triplicem in Deo dari Scientiam, nimirum *Simplicis Intelligentiæ*, quæ cognoscit res possibles: *Visionis* quæ cognoscit res pro aliquâ temporis differentia actu existentes: *Mediam seu conditionatam*, quæ Deus cognoscit res non merè possibles, neque absolute existentes, sed existentes sub certâ conditione; quæ proinde Scientia semper duplex habet obiectum; unum se tenens ex parte conditionis, quod dicitur antecedens: alterum ex parte conditionati, & dicitur consequens, quia infertur ex conditione seu aliquo antecedente v. g. ad propositum nostrum, si daretur Petro tale auxilium (& adessent cætera ad actum proximum.) consentiret; ubi auxilium & totus actus primus proximus erunt *conditiæ*, & aliquid antecedens: consensus Petri conditionatus est aliquid consequens. Hæc Scientia Media suppositâ, quam rite intellectam negare nemmo potest.

XII. *Doctrina sexta*. Prædicta Infallibilis Gratiam Efficacem desumitur à Scientia Media, non excludendo perhanc imò includendo ipsum obiectum hujus, à Scientia illa præsuppositum; ut proinde Gratia Efficax non sit aliquid simplex, sed compositum ex duobus conceptibus, quorum unus respectu alterius sit extrinsecus; in primis enim habet entitatem & vim effectivam physicam. deinde habet connexionem determinatam & infallibilem illius vis & entitatis cum nostro consensu; quæ connexio non est intrinseca illi entitati, sed est quædam denominatio accidentalis, & extrinseca proveniens à Scientia Dei Mediâ, quæ prævidetur auxilium habiturum operationem, si ponatur, adeoque ab ipso simul obiecto conditionare futuro. Ita Patres Societatis nostræ, qui universim hæc tria in actu primo importari à Gratia Efficaci docent, sic licet in Recto ipsam Entitatem auxilij supernaturalis: in Obliquo verò Consensum sub conditione futurum à Scientia Dei Media prævisum, & Decretum quoddam Benevolentie divinæ, ut mox patebit. Vnde facile conjicitur, efficaciam auxilij divini melius dici efficaciam moralem, quam physicam. Sic explicata doctrina probatur. Tum auctoritate SS. PP. Chrysofostomi, Ambrosij, Origenis, qui apud Suarez. relati referunt efficaciam divinæ vocationis in præscientiam Dei, & præsertim D. Augustinus L. 1. ad Simplicianum q. 2. ubi, *cujus miseretur, inquit, sic eum vocat, quomodo scit, ei congruere, ut vocantem non respiciat.* Tum ratione, quia Gratia Efficax ex communi DD. placito ita debet explicari, ut 1. distinguatur à merè Inefficaci. 2. ut trahat secum consensum non quomodocunque, sed infallibiliter. 3. ut non lædat libertatem operantis. 4. ut ostendi possit, quomodo Gratia Efficax

Efficax sit speciale beneficium Dei. Ista omnia præstat Efficacia Gratia, prout à nobis explicatur: & non prout eadem ab alijs exponitur. Ergo &c. Minor quoque d. posteriorem partem satis patet ex prædictis: quoad priorem partem nunc ostenditur.

XIII. Et *Primo* quidem clarum est, per hoc, quod Gratia Efficax includat Scientiam Medicam, vel effectum ipsum sub conditione futurum, distingui eam à gratia merè sufficienti, quæ, licet conferatur, nunquam cum consensu coniungitur. *Secundo* patet etiam, Gratia Efficax summam & metaphysicam inesse infallibilitatem. Etsi enim Gratia efficax secundum se & virtutem suam operativam, quam dicit in Recto, sit indifferens ad consensum & dissentium, atque potentia antecedenti cum utroque coniungi possit, quatenus tamen substat Scientia Medicæ, quam includit, vel ipsi consensui sub conditione futuro, impossibile est, ut existat, quin consequatur effectus. *Tertio* Libertatem non lædi à prædicta connexionem, defumitur ex generali illa & recepta regulâ, quod nihil impediatur aut lædatur libertatem, quamcumque habeat infallibilem connexionem, nisi se teneat ex parte causæ & actus primi proximi; id quod non accidit in proposito ratione eorum, quæ in gratia efficaci involvi diximus. Nam auxilium secundum se est planè indifferens, atque ideo non præiudicat quidquam libertati. Consensus sub conditione est quidem aliquid, ratione cuius Gratia Efficax necessariò coniungitur cum consensu, sed non se tenet ex parte Causæ, neque constituit actum primum proximum, sed ad illum consequitur, sicuti omnis effectus ad suam causam. Scientia verò Media est aliquid dependens ab ipso consensu sub conditione futuro, ac proinde ipsa quoque aliquid consequens actum primum proximum, nullo modo autem illum constituens; quippe non ideo consentio, quia Deus me videt consenturum, sed Deus me videt consenturum, quia liberè consentio. Hinc fieri potest ut ex duobus æqualem gratiam habentibus unus convertatur: alter non item, ut communiter tenent Theologi contra nonnullos; quia apud neutrum est principium intrinsicum necessitans. *Quarto* denique ostenditur, Gratiam Efficacem, quæ talem, esse speciale Dei Beneficium. Nam cum Deus videat per scientiam Medicam, cum quibus auxilijs Petrus sit cooperaturus, cum quibus non: habeat insuper in sua potestate dare auxilium, vel tale cum quo conditionatè prævidet Petrum cooperaturum, vel aliud, cum quò prævidet, eum non cooperaturum, maximum certè beneficium facit, si ex benefica Voluntate huiusmodi det auxilium, quod non tantum fecit merè esse sufficiens, & cum quò videt Petrum cooperari posse; sed cum quò prævidet, illum actu & re ipsà cooperaturum, & ita salutem æternam meriturum. Atque hoc non solum intelligendum est de prima gratia, verum etiam de quacumque aliâ, & maximè de perseverantia juxta Trid. Sess. 6. can. 22. quæ perseverantia nihil est aliud, quam unum vel plura auxilia efficacia, quæ Deus per scientiam Medicam prævideat congrua, quibus homo infallibiliter & liberè usque in finem sit perseveraturus. Unde gratia efficax est semper moraliter major, majusque beneficium, quam sit merè sufficiens non

obstante æqualitate physica. Pro cuius maiore declaratione.

XIV. Advertendum, Gratiam Efficacem dupliciter considerari posse; vel ut præcisè efficax, & infallibiliter operaturum; vel insuper, ut speciale Dei beneficium; priori modo tota ejus essentia videtur sufficienter constitui per supernaturale auxilium in Recto, & consensum conditionatum in obliquo importatum, uti communiter jam docent Theologi: posteriori autem modo, uti de facto est, semperque à nobis concipitur, dicit etiam scientiam Conditionatam, & Decretum quoddam beneficium, quò ideo confertur, quia sub conditione visum est habiturum effectum, & specialiter nobis profuturum. Ratio est, quia sine tali scientia, & tali decreto Benevolentia conferretur quidem beneficium majus à parte rei ac materialiter, non tamen formaliter; nec proinde debemus speciales gratias, nisi procedat ex noticia, quæ prævidetur nobis profuturum & ex speciali voluntate, nobis faciendi bene, & quia nobis profuturum est. Eadem gratia ratione auxilij, quod, ut dixi, importat in recto, est prior physice consensu nostro, & naturâ fere præcedit operationem nostram, ratione verò efficacis & ipsius consensu sub conditione futuro, est prior saltem logicè, & quoad subsistendi consequentiam; sicuti animal est prius rationali; quia scilicet ex negata futuritione conditionatâ consensus, rectè negatur consensus absolute futurus: non tamen è contra; siquidem non est verum dicere: nunquam existet absolute hoc auxilium, & ab illo dependens consensus. Ergo neque si detur hoc auxilium, existet consensus conditionatè.

XV. *Doctrina septima.* Gratia Efficax subdividitur in Prævenientem, Concomitantem, & Subsequentem; quæ divisio non desumitur ab intrinsecâ diversitate gratiarum, sed ab externis effectibus. Nam eadem pia cogitatio, quatenus voluntatem prævenit, & ad liberè consentiendum allicit, dicitur Gratia Præveniens, vel Excitans, vel vocans, vel Operans: quatenus verò liberum voluntatis consensum iam excitatum morali concursu adjuvat, dicitur Gratia Concomitans, Vel Adjuvans, vel Coöperans: quatenus denique voluntatem confirmat usque ad operis executionem, dicitur Subsequens, perinde fere ut equi currui juncti, & ad vecturam parati, sunt quasi prævenientes: cum actu trahunt, quasi comitantes: quando ad terminum pertrahunt, sunt subsequentes. Sic suaviter equitat, quem gratia Dei portat. Dixi concursu morali &c. juxta probabiliorum Theologorum Sententiam; etsi aliqui physicum requirant; præter moralem autem hunc concursum Deus elevare debet potentiam, & unâ cum hac influere in actum sive consensum supernaturalem; quem inde simultaneum Dei influxum vocant etiam gratiam adjuvantem, distinctum quidem realiter à gratiâ excitante & præveniente: indistinctum verò à coöperante, & subsequente. De quo plura Scholastici.

XVI. *Doctrina octava.* Præter æternam illam discretionem seu prædestinationem discernit etiam Deus in tempore fidelem ab infideli, electum à reprobo per gratiam, dando illi gratiam efficacem & discretivam, actum scilicet primum ad bene operandum, imò ipsum actum secundum; quia

dando gratiam efficacem transfert consensum nostrum scientiã Mediã jam ante prævisum à statu conditionato ad statum absolutum. Etsi autem hæc discretio in genere dantis actum primum & secundum principaliter & à potiori rectè tribuatur Deo soli, certum tamen est ex dictis, in alio genere acceptantis scilicet illam gratiam, & liberè cooperantis, aliquo etiam modo eandem nostram esse. Hoc ipsum tamen non obstat, quò minus verissimè dixerit Apostolus ad Rom. 9. v. 16 Salutem & justificationem & cuiusvis non esse volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Nam licet homo cooperando, ut dixi, fecerit consensum, & sic ad justificationem & salutem se disposuerit, hoc tamen facere nec sufficit ad salutem, nec comparabile, imò nihil est respectu eorum, quæ facit Deus; qui vel solus vel unà nobiscum omnia præstat, quæ ad salutis huius initium, progressum, & ipsam tandem consumationem sunt necessaria. Loquimur autem de salute adultorum; parvulorum enim salus multò magis est miserentis Dei; Secus ferè habet in obduratione hominis ejusque perditione, ad quam requiritur peccatum & malitia, quam facit solus homo, & nullo modo Deus.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XVII. **E**rror primus est, nullam de facto dari Gratiam SuffICIENTEM, quæ Simul non sit Efficax. Ita Calvinus L. 2. Instit. c. 2. §. 5. & 6. Et L. 3. c. 24. §. 3. Item in Antidoto Trid. ad Sess. 6. §. porro & Can. 9. Petrus Molinæus in quadam epist. citata apud Maldenium 1. 2. fol. 485. & præter alios hæreticos nostri temporis Amesius, qui licet Tom. 4. L. 3. fol. 43. dicat, partitionem gratiæ in SuffICIENTEM & Efficacem se non omnino negare, id tamen reipsa facit, & apertè fateatur fol. sequenti circa medium sic ajens: *negamus igitur auxilium Dei sufficiens, quo possit homo vel sua intrinsicã potentia, vel indifferenter Dei gratiam determinando converti, ab ijs recipi, qui nunquam re ipsa convertuntur.* His accedit Jansenius Irenensis Tom. 3. L. 3. c. 1. colum. 250. ubi hæc habet: *post lapsum Adæ nullum datur adjutorium merè sufficiens, quin simul sit efficax.* Et eodem Tom. 3. L. 2. c. 29. colum. 213. Et L. 3. cit. c. 1. col. 251. sic scribit: *Qui aliam gratiam Christi, quàm efficacem asserunt, novum genus gratiæ procedunt, quod nec D. Augustinus nec ullus post illum Latinorum Patrum, nec S. Thomas, nec vetustiorum Theologorum aliquis agnovit, nec Ecclesia in ullis Concilijs generalibus aut provincialibus approbavit, nec verò agnoscere potuit, nisi principia, quibus ipsa per antiquos Patres gratiam defendit, funditus evertat.* Probat 1. ex Sac. Scriptura. Ad Rom. 10. v. 14. *quomodo credent sine predicante?* At multis non est prædicatum Evangelium. Ergo ijs omnibus non datur sufficiens auxilium ad Salutem. Joan. 6. v. 44. *Nemo potest venire, nisi trahatur.* Non autem omnes trahuntur, quia non veniunt omnes. Ergo non omnes possunt venire. Ergo non omnes habent gratiam suffICIENTEM. Ad Ephes. 4. v. 18. ait. *Apost. de Gentilibus: Tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vitã DEI*

per ignorantiam, quæ est in illis per duritiam cordis ipsorum. Probat 2. ex SS. Patribus. S. Augustinus in exposit. quarundam propositionum epistolæ ad Rom. Propositione 62. scribit, *Pharaonem adeo fuisse obduratum, ut obtemperare non posset. Ergo non habuit auxilium sufficiens ad obtemperandum;* quod confirmari potest ex Sac. Scriptura affirmante, quosdam homines à Deo obcæcari & obdurari. S. Augustino in neganda gratia suffICIENTI consentire cæteros Patres, S. Thomam, & vetustiores Theologos, asseruit Jansenius supra relatus. Probat 3. ratione. Tum quia nomen SuffICIENTIS Gratæ non reperitur in Scriptura, Concilijs, Patribus, & Scholasticis antiquioribus. Tum quia gratia sufficiens cum Pelagianis, aut Semipelagianis plus æquò libertati, & viribus naturæ tribuere, ac Christi gratiæ derogare videtur. Tum quia auxilium, quod nunquam ad actum reducitur, est frustraneum; sicuti potentia foret frustranea, quæ nunquam in actum educeretur. Tum quia Ecclesia nunquam petit à Deo filijs suis posse tantum, si velint, sed ipsum velle, converti, credere diligere &c. Ergo non agnoscit gratiam merè suffICIENTEM, cujus proprius effectus esse dicitur, posse, si velis. Tum denique quia auxilium sufficiens includit negationem actus secundi. Sed æquò impossibile est, operari cum eo auxilio, ac sine motione DEI physica complente propriam actionem. Ergo &c.

XVIII. Errorum hunc validè rejiciunt Scripturæ supra adductæ, quæ omnibus etiam post commissã scelera auxilium promittunt, & ad reditum maturamque conversionem omnes invitant, & vitio vertunt, si quis vocatus non convertatur & vivat. Quàm apertè eidem etiam adverteretur Isaias supra relatus, patet ex ipsius verbis: *quid est, quod debui facere vineæ meæ &c.* Nath si DEUS non dedit gratiam suffICIENTEM, unde conquerendo exspectavit vas? Si dedit efficacem, quomodo vinea fecit labrucas? Sacra Scripturæ concordant Concilia, & Patres. Solum igitur addo, per eum errorem absurdissimè destrui statum viæ, qui essentialiter postulat, ut homo in eã constitutus possit ad terminum pervenire. Sed absque suffICIENTI auxilio homo nequit ad terminum gloriæ, ad quem ordinatus & conditus est, pervenire. Ergo qui omni auxilio destitutus foret, non esset amplius in viã, sed potius in termino; unde nec peccata, quæ in hoc statu committeret, ad pœnam illi imputarentur. Quare in quinque propositionibus Jansenij merito etiam hanc opinionem damnavit Innocentius X. & huius censuram Alexander VII. ejus Successor confirmavit.

XIX. Respondeo ad 1. argumentum Scripturæ, unde hæretici errorem suum probare conantur: Ex illo ad Romanos solum sequitur, non adesse omnibus auxilium proximum & immediatum: non verò mediatum & remotum auxilium sufficiens, ut dicimus infra. Videatur interea Bellarm. L. 2. de grat. & libero arbitr. cap. 8. ad Ephesios non est ea mens Apostoli, cum ipse alibi disertè doceat, Gentiles esse inexcusabiles, eò quod Deum non glorificaverint. Vult ergo solum ostendere, Infideles suis plerumque peccatis impedimentum asserre gratiæ ulteriori, quæ ad fidem & justificationem disponi ac pervenire possent. Joan. 6. verba Christi rectius intelliguntur de tractione congrua & efficaci, quæ scilicet

ita sua-

ita suadet, ut persuadeat; dicitur autem non posse venire, qui non trahitur ita per gratiam congruam, non quod absolute non possit, sed quia infallibiliter non venit: sicut etiam e contra, qui trahitur, potest absolute non venire, tamen infallibiliter venit. Unde falsa est Minor facti Syllogismi, si de trahitione inchoata & sufficiente accipiarur.

XX. Respond. 2. ad Auctoritatem D. Augustini Verba hujus S. Patris sumenda sunt in sensu composito, scilicet Pharaonem, quatenus erat induratus adversus motiones divinas, non potuisse eorum impulsu sequi; quod non impediabat, quominus simpliciter ijs posset obedire, qui pravam illam animi obfirmationem abijce & poterat. Ex Scripturis in confirmationem allatis aliud non inferitur, quam non dari quibusvis hominibus quovis momento sufficientem gratiam; uti etiam si post gravem lapsum non supervivant pro notabili tempore. Dicunt Adversarii, Sac. Scripturam hortari peccatores, ut quam celerrime ad Deum convertantur. Ergo contra responsum & superiorem doctrinam semper adesse deberet gratia sufficiens ad conversionem. Non sequitur; siquidem Sacra Scriptura peccatores tantum monet, ut inspirationes divinas non negligant, & inutiles abire patiantur, sed potius motionem sequantur, quoties ijs pulsari se adverterint. Cæterum D. Augustino utique consentiunt reliqui PP. non autem in neganda, sed asserenda gratia sufficienti, ut ex dictis constat. S. Prosper dicit, *dividi opulationem DEI in eam, qua reluctantium nequitia refutatur: & eam, qua suscipitur: quid autem hoc est aliud, quam dividi in sufficientem, quæ repellitur: & in efficacem quæ admittitur; hæc illius sunt verba de vocat. Gen. L. 2. c. 26. De sua habens mutabilitate, si deficit: de gratia opulatione, si proficit; quæ opulatio per innumeros quodam seu occultos seu manifestos omnibus adhibetur; & quod a multis refutatur, ipsorum est nequitia: quod autem a multis suscipitur, & est gratia divina & voluntatis humana.* Mirum etiam est, Jansenium posse pro se adducere D. Thomam, qui luce meridiana clarius gratiam sufficientem docet, tum alibi, tum i. 2. q. 106. a. 2. ad 2. ubi: *Dicendum, inquit, quod gratia novi Testamenti, etsi adjuvet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, ut homo peccare non possit. Et ideo, si quis post acceptam gratiam Testamenti novi peccaverit, majori pena est dignus tanquam majoribus beneficijs ingratus, & auxilio sibi dato non utens; quia quantum est de se (lex nova) sufficiens auxilium dat ad non peccandum.* S. Thomæ ad stipulantur in hoc omnes Scholastici Catholici. Dicit Amelius: *Misericordia & Induratio inter se opponuntur, ita ut ex uno affirmato alterum negetur.* Rom. 9. v. 18. Ergo hoc ipso, quod aliquis sit induratus, misericordiâ spoliatus est. Respon. distinguendo: induratio opponitur omni misericordiæ etiam sufficienti. Nego: magnæ illi misericordiæ & efficaci, quæ a nullo durò corderefpuitur. Concedo antecedens, & nego consequentiam.

XXI. Respondo 3. ad tertium argumentum ex ratione. Ad 1. Sufficientis Gratia nomen si Jansenius in Augustino aut Patribus, Concilijs & Scholasticis antiquis non legerit, meminisse debet. Arianos olim in Scriptura nec legisse Trinitatis nomen, nec homousion: nec modò transubstantiationis nomen in ea reperire Calvinis-

tas, & tamen utriusque ut hæretici damnati sunt, quod propter nomen non repertum negaverint rem ipsam; gratiam autem sufficientem & in Scripturis & in PP. & in Concilijs quoad rem ipsam jam jam ostendimus. Ad 2. quod gratia Sufficiens, prout à Catholicis DD. exponitur, Pelagianismum aut semipelagianismum sapiat, aut ab istis erroribus ortum ducat, atque illa absurda annexa habeat, non nisi falsis omnino principijs astrui, nec aliter Semipelagianismi damnari posse, quam quomodo moderni hæretici huius erroris insinulant omnes Catholicos, qui juxta Tridentini decreta gratiam cum libero arbitrio conciliant; ut bene advertit Stapletonus. L. 4. de Justific. Non ergo nos Catholicis plus æquo cum Pelagianis aut semipelagianis damus libertati, asserendo gratiam sufficientem, Sed Jansenius cum Calvinistis iniquissime statum viæ e medio tollit, dum contra S. Scripturam, SS. Patres & rationem eandem gratiam sufficientem negat. Ad 3. auxilium sufficiens non esse potentiam aliquam, quæ posita in homine nunquam sit ad actum reducenda. Sed vitalem quandam excitationem, quæ ex suppositione liberæ non-cooperationis creaturæ dicitur carere actu secundo, cum tamen eadem excitatio alteri, vel eidem homini alio tempore data habitura esset effectum: nec eandem frustra poni, sed necessariam esse, tum ut homo sit simpliciter potens ad operandum, tum ut omisso actus libera sit, & ad culpam imputetur. Quare etiam si gratia sufficiens det homini posse, si velit: & non det velle, quod potest, non est tamen, ut nobis obgannunt hæretici, monstrum gratiæ, sed divina Bonitatis profusio, quæ solem suum oriri facit super justos & injustos; tamen si sole injusti male ab utantur, quod peius est, quàm non uti. Ad 4. cum DEUS sit, qui dat velle & persicere per gratiam liberati congruam, non-necessitantem: hanc autem congruam & efficacem gratiam non semper nanciscatur homo, hoc ipso quod non coöperetur, meritò pro illo orare Ecclesiam, ut Deus largiri dignetur copiosorem gratiam, quæ facilius possit, & congruam quæ simpliciter velit, & agat, quantumvis non ignoret, gratiam sufficientem nulli deesse. Ad 5. & ultimam probationem. negando Minorem. Nam Motio divina per Adversarios requiritur, ut physicum complementum actus primi, cujus collatio pendet à solâ Dei voluntate: Negatio vero actus juxta nos non coniungitur cum auxilio sufficienti ex naturâ rei, quasi sit quoddam auxilium ejus naturæ, cui conjuncta est negatio actus secundi, sed dicitur talis negatio includi in tali gratia ex defectu solum coöperationis humanæ, quæ suppositione factâ, impossibilitas tantum consequens seu effectus sequitur, quæ includit liberam determinationem creaturæ, ut cum tali auxilio homo non operetur.

XXII. Error Secundus est. Gratiam Efficacem sine consensu liberi arbitrij solam in nobis omnia operari. Ita Calvinus L. 2. Instit. c. 3. §. 6. & 12. Item in Antid. Trid. Sess. 6. c. 6. Lutherus Tom. 1. in Resolut. proposit. Lipsiens. conclus. 2. Kemnitius in examine Tridentini. Sess. 6. in can. 2. 3. & 4. &c. Amelius Tom. 4. à fol. 74. Gerhard. L. 2. Confess. P. 3. à fol. 536. & præter alios Jansenius Ipensis, qui tom. 1. L. 5. c. 11. colum

colum. 269. sic scribit: *Pelagianæ phrasæ sunt gratiam provocare, allicere, cooperari voluntati.* Isti ergo omnes tenent voluntatem nostram in bonis operibus sic agi à Deo, ut non possit non agere; & quamvis ipsa quoque creatura activè concurrat, attamen concurrere ut merum instrumentum Dei naturale, non ut causam liberam, & ut dominam sui actûs, id quod clarè indicat Jansenius Tom. 3. L. 2. c. 23. colum. 193. his verbis: *laudem boni operis bonæ voluntatis partiri cum Deo impium esse, ex eo patet, quod post lapsum hominis tota laus bona voluntatis atque operis in solam gratiam referenda sit.* Probant 1. auctoritate S. Scripturæ. 1. ad Corinth. 12. v. 9 *Deus operatur omnia in nobis,* 2. ad Corinth. 3. v. 5. *non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ad Philipp. 1. v. 6. *Deus operatur in nobis velle & perficere.* Probant 2. ex testimonijs Conciliorum & Patrum, Concil. Arausicanum II. can. 4. statuit: *Deum non expectare voluntatem nostram, ut à peccato purgemur.* Atqui illam expectaret, si ipsemet eam non determinat ad consensum. Innocentius I. Pontifex ad Concil. Milevit. sic scribit: *in omnibus paginis voluntati libera non nisi adiutorium Dei legimus esse neciendum, eamque nihil posse celestibus auxilijs destitutam.* S. Augustinus sæpissimè asserit, *Deum operari nostras voluntates: flectere, quocunque velit: facere ex nolente volentem: item collationem auxilijs efficacis ad solam Dei voluntatem pertinere &c.* plura similia Script. & PP. testimonia congerit Gerhardus loc. cit. Probant 3. varijs rationibus & argumentis nostram maximè sententiam oppugnantibus; quæ enim pro ipsorum propriâ doctrina faciunt, priore controvers. S. VII. jam attulimus, & solvimus.

XXIII. 1. Igitur. In hac etiam sententia nostra non potest conciliari libertas cum gratiâ efficaci. Ergo &c. Antecedens probatur. Positâ scientiâ Mediâ & cæteris ad gratiam efficacem requisitis, non potest homo non agere. Ergo non est liber. 2. Nec per nos datur auxilium purè sufficiens. Ergo &c. Antecedens probatur. Tunc non datur auxilium purè sufficiens, quando cum isto sine gratiâ efficaci nemo potest operari. Atqui cum auxilio purè sufficiente, sive sine gratiâ efficaci nemo potest operari. Ergo &c. Minor probatur. Auxilium purè sufficiens est, cum quo aliquis non operatur: & Auxilium efficax, cum quo operatur. Atqui est impossibile, ut aliquis operetur cum illo auxilio, cum quo aliquis non operatur, vel ut illud auxilium non sit efficax, cum quo operatur. Ergo est impossibile operari cum gratiâ purè sufficiente, vel sine gratiâ efficaci. 3. In nostra quoque doctrina homo non potest resistere, aut dissentire gratiæ efficaci. Ergo &c. 4. Si per consensum nostrum vocatio & gratia redditur efficax, & verè trahens, tum quod Deus hunc trahat, non illum, pendebit ex mero libero arbitrio nostro. Consequens sapit Pelagianismum. Ergo &c. Probat sequela. Quia ille trahitur, qui consentit: ille non trahitur, qui non consentit; consentire autem est totum positum in libero arbitrio. 5. Initium justificationis nostræ est gratia efficax. Atqui hæc est aliquid à nobis; quatenus scilicet dicit consensum nostrum saltem conditionatum. Ergo similiter initium justificationis, quod itidem sapit Semipelagianismum, & est etiam contra Trident. ajens Sess. 6. c. 5. *Initium justificationis esse à gratia excitante & praveniente.*

6. Ista causalis est vera: homo venit, quia Deus trahit. Hæc falsa: Deus trahit, quia homo venit. Ergo tractio per modum principij simpliciter antecedit nostrum venire, sive consensum. Ergo gratia Efficax non potest constitui per consensum. 7. Auxilium Efficax ante actualem operationem jam intelligitur aliquid esse utile, quàm sit inefficax. Ergo ante operationem actualem jam habet aliquid, quod non habet inefficax, & quidem aliquid distinctum ab operatione, utpote in ordine ad istam. Ergo tota efficacia à solo Deo provenit. 8. DEUS est causa prima. Ergo physicè determinat secundam ac creatam. 9. Si Gratia Efficax non necessitat aut determinat voluntatem ad actum, sed potius voluntas absque prævia determinatione agit, si velit: non agit, si nolit. Ergo non gratia sibi subijcit voluntatem: sed voluntas gratiam; quod iterum sapit Semipelagianismum, & repugnat Concilio Arausicano II. Can. 6. 10. Denique. Deus habet potentiam convertendi hominem metaphysicè infructibilem. sed hoc salvari non potest absque determinatione. Ergo &c. Probat Minor. Efficacia gratiæ desumitur à scientia conditionatâ. Atqui fieri potest, ut Deus non habeat scientiam conditionatam, quod homo consensurus sit ulli auxilio; dato enim quocunque auxilio ponitur homo liber, ut dissentire possit; siquidem ex eo, quod primò dissentiat, non fit impotens ad dissentiendum secundâ, ac tertiâ vice, & deinceps in omnibus. Ergo fieri etiam potest, ut non videatur ullam gratiam, quâ hominem convertere possit.

XXIV. Error iste totus in eo est, ut neger, liberè nos cooperari divinæ gratiæ, adeoque aliquid nostrum esse in bono opere, & inde aliquid laudis ad nos referri; & cujus oppositum cum omnibus Catholicis in priore parte hujus controversiæ & explicatione Gratia Efficacis affirmavimus, idque in prioribus etiam duabus controvers. jam probavimus. Damnatur idem error etiam apertis verbis à Tridentino Sess. 6. c. 7. can. 4. *Si quis dixerit, liberum arbitrium nihil cooperari assensu Deo excitanti, anathema sit.* Et novissimè Innocentius X. & Alexander VII. Summi Pontifices contra V. propositiones Cornelij Jansenij Episcopi Ipresis quartam ex his, nempe istam (*Semipelagianam admittentem pravenientis gratia necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici quod vellet, eam gratiam esse talem, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare*) falsam & hæreticam declarant, quæ proposita est ipsius error, de quo agimus. Pro solutione argumentorum, quæ ex ratione desumpta fuerunt, multum juvabit, si ponamus Principem, qui prævideat Petrum subditum suum infallibiliter superaturum hostem cum hoc gladio, cum alio verò casurum: atque ideo Petro potius illum priorem det, quàm hunc posteriori; quantumvis Petrus cum utroque gladio & superare & superari possit. Quæ enim contra gratiam efficacem ab adversarijs obijciuntur, ex hac instantiâ clarissimè infringi possunt, ut consideranti patebit. Itaque.

XXV. Responderetur ad 1. probationem ex S. Scriptura. Nusquam in citatis locis dici, quod Deus solus sine nobis hæc omnia operetur: sed quod nobiscum cooperetur. Quocirca citata loca non faciunt ad rem. Videri possunt priores duæ controversiæ nostræ.

XXVI. Respond. 2. ad probationem ex Auctoritate Conciliorum, & Patrum. Concilium Atracianum statuit, Deum non expectare voluntatem nostram in sensu semipelagianorum, qui ibi damnantur; nempe antequam gratiâ suâ ipse eam præveniret: eundem tamen præventam expectare, ut ipsa se ad consensum liberum determinet, non quidem sola, sed simul cum divinò auxilio in ipsum consensum intimè influente. Innocentium Papam asserere quidem, voluntatem nostram nihil posse sine Dei adjutorio: minimè verò huic illam non liberè cooperari ad consensum producendum. S. Augustini allatos loquendi modos nihil nobis officere, quia cum his alijsque stat, quod dato tali auxilio sit in potestate hominis consentire vel dissentire; unde quod Deus talibus suavis, & alioquin repudiabilibus medijs obtineat id à voluntate creata; quod intendit, hoc certè majoris sapientiæ & potentiæ opus est, quàm si illud per gratiam profus ineluctabilem assequeretur.

XXVII. Respondetur 7. Ad probationem ex ratione, quam multiplicem attulerunt. Ad 1. Negamus antecedens, cujus probatio distinguitur. Homo non potest non agere necessitate consequente, conceditur: necessitas antecedente, negatur. Urgent. Tunc est necessitas antecedens, quando oritur ex aliquo antecedente in actu 1. Atqui hæc necessitas oritur ex Scientia Media antecedente. Ergo est antecedens. Resp. distinguendo Majorem; quando oritur ex aliquo antecedente & inimpedibili ab actu consequente, conceditur: quando oritur ex aliquo antecedente & impedibili ab actu consequente, negatur Major. Distinctio hæc clarescit ex dictis §. XIII. & exemplo dato §. XXIV. ad finem. Dicunt. Hæc propositio: *Quidquid ex inimpedibili per necessariam consequentiam sequitur, inimpedibile est.* Damnata fuit à Sixto IV. Anno 1476. inter alios propositiones Petri de Ruio Professoris Lovanensis. Atqui hæc propositio est fundamentum nostrum, in quantum inferimus, actus nostros bonos ideo à nobis esse inimpedibiles, & consequenter necessarios, quia sequuntur ex determinatione inimpedibili à nobis per necessariam consequentiam. Respond. cum Card. de Lugo, Tom. de Incarn. D. 26. Sect. 6. n. 72. hanc propositionem non fuisse prohibitam; sed illam aliam: *quod necessariò sequitur ex aliquo precedente ordine successiva durationis, necessarium & inevitabile est;* sic enim præcedit Revelatio de eventu alicujus futuri, & tamen illud, quod necessariò sequitur ad talem revelationem, non est necessarium & inevitabile. Videatur cit. Auctor. Instant. Scientia Media esset, etiamsi ego nunquam existerem. Ergo non est à me impedibilis Respond. distinguendo Antecedens; esset sine ulla dependentia tam actuali, quàm habituali, negatur antecedens: esset quidem sine dependentia actuali, non tamen sine habituali & conditionatâ, conceditur antecedens, & negatur consequentia. Nam Scientia Media ita est constituta, ut licet, dum ego non sum, non dependeat dependentiâ actuali à mea existentiâ & libertate: attamen dependet dependentiâ habituali, & conditionatâ, ita ut quandocunque ego existo, actualem dependentiam nanciscatur ex hac mea existentiâ, & libertate; cum Deus scientiâ mediâ non possit non videre, quidquid à voluntate sub conditione futurum est.

XXVIII. Ad 2. Negando Antecedens, & in

probatione hujus distinguendo Minorem posterioris Syllogismi; est impossibile, ut aliquis operetur cum auxilio purè sufficiente sive absque gratia efficaci, impotentiâ consequente, conceditur: impotentiâ antecedente, negatur Minor &c. Nam hoc ipso, quod aliquis elegerit actum malum, & consequenter gratiam præcedentem fecerit purè sufficientem, impossibile est, ut eligat simul actum bonum, & hinc sine gratia efficaci non potest operari: sive, si ipse sponte eligat, non-operari, est impossibile, ut simul eligat operationem, & consequenter est impossibile, ut operetur cum gratia purè sufficienti. At verò potentiâ antecedente est possibile, ut aliquis operetur cum gratiâ purè sufficiente; quia si elegerit operationem bonam, quod in ipsius fuit potestate, potuisset facere, ut hæc gratia, quæ de facto est purè sufficiens, fuisset efficax.

Ad 3. Non potest resistere vel dissentire entitati gratiæ, quæ est efficax, negatur antecedens: non potest resistere efficaci, ut tali; subdistinguo; impotentiâ consequente & dependente à nostrâ liberâ electione, concedo: impotentiâ antecedente, nego antecedens, & consequentiam, modò jam explicatò.

XXX. Ad 4. Negando sequelam. Nam et si suppositâ gratiâ consentire vel non consentire sit in hominis potestate: non est tamen in potestate hominis habere gratiam, sed est speciale beneficium solius Dei, qui auxilium ad bene operandum dare voluit non qualecunque, sed ex ijs unum, ad quod prævidit consecuturum consensum. Et hinc etiam debemus & agimus DEO grates speciales; non quod ex suppositione gratiæ nos consenserimus; hoc enim verè est in potestate nostra: sed quod dederit talè auxilium trahens, cum quo prævidit nos consensuros, & re ipsa trahendos.

XXXI. Ad 5. Graciam Efficacem specificè sumptam, & quatenus dicit virtutem, esse initium justificationis nostræ: non verò reduplicativè acceptam, & quæ efficacem. Atqui non causat quæ efficax & secundum omnes suas partes, sed secundum virtutem operandi.

XXXII. Ad 6. Tractionem hanc considerari posse vel in actu secundo, vel in actu primò. Si accipiatur gratia seu tractio in actu secundo efficax, utramque causalem esse veram in genere causæ formalis; quia Tò trahere efficaciter in actu secundo reverà adæquatè non subsistit, nisi homo veniat, & ipsum vicissim venire hominis formaliter acceptum ac completum non est, nisi Deus trahat; quippe hoc venire hominis non est qualecunque, sed vocantem, præeuntem, trahentem &c. sequi, quod intelligi non potest sine vocatione, tractione, vel simili. Quod si accipiatur tractio in actu primo, redit responsio ad præcedentem objectionem data; vera enim, & à priori erit causalis ista: homo venit, quia Deus trahit, accipiendo tractionem istam secundum virtutem operativam, quam dicit in Recto: non verò adæquatè, & secundum idem etiam, quod dicit in Obliquo.

XXXIII. Ad 7. Distinguendo Antecedens; intelligitur aliquid utilius physicè & quoad intrinsecam virtutem operandi, negatur: moraliter, conceditur; etenim propter connexionem infallibilem, quam habet cum consensu, in morali hominum æstimatione æquivalet cuicunque auxilio physicè determinanti.

XXXIV.

XXXIV. *Ad 8.* Negando ultimam consequentiam. Nam dicitur Deus Causa prima; quia præcedit ordine dignitatis: quia agit prius quoad subsistendi consequentiam: & denique quia dat prius omnibus causis alijs virtutem agendi, alijsque & quidem liberè offert suum concursum, quò possint agere.

XXXV. *Ad 9.* Hinc tantum sequi, gratiam efficacem subijci voluntati quoad usum, quod verissimum, neque hoc repugnare Concilio citato; ibi enim agitur contra Semipelagianos, ita subijcetes gratiam voluntati, ut vellent liberum arbitrium proprijs virtutibus quærendo, pulsando posse advocare gratiam, quod à Sententia nostra alienissimum est. Ex hoc autem, quod homo à gratiâ præveniente allici se finat, eique coöperetur, assensum eliciendo, suam ipsi laudem enasci omnino concedendum est, nec curandum, quid impudenter contra effutiat Jansenius. Nam quemadmodum Catholicorum nemo sic opus suum partitur cum Deo, ut partem ejus unam sibi, alteram DEO tribuat, ita non nisi contra Sacram Scripturam, Concilia, ac Patres negari potest, quin ex eodem bono opere, quod divinæ gratiæ ut causæ principali coöperando facit Justus, & laudem & meritum habeat ac mercedem coronamque expectare debeat; Ad quid enim aliàs diceret S. Paulus 1. ad Corint. 4. v. 5. *Tunc laus erit unicuique à Deo?* & cap. 3. v. 8. *unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, Dei enim adjutores sumus, græcè συνεργοι, cooperatores?* Quomodo etiam S. Patres docerent virtutem, justitiam, merita, bona opera esse nostra, de proprio servare nos Deo; nostri laboris ac sollicitudinis esse, coöperari gratiæ divinæ, si post primas partes DEI adjutorie attributas, non aliquid etiam ex bono opere in nos redundaret? Hoc igitur sentire non impietatis est, ut cum Calvino sibi imaginatur, imò calumniatur Jansenius, sed religiôsæ gratitudinis ab omnibus hætenus Catholicis Doctoribus conformiter Sacræ Scripturæ assertæ.

XXXVI. *Ad 10.* denique argumentum. Arrigam tom. 1. in 1. P. D. Thomæ D. 31. n. 36. negare Majorem, ac dicere, moraliter quidem esse impossibile, ut homo repudiet omnia auxilia: metaphysicè tamen vel etiam physicè id non repugnat: sicuti in alearum ludo physicè non repugnat, jacere trecenties continenter eundem numerum, moraliter tamen fieri non potest, cui Auctori non dubito, quin alij consentiant, tamen si nullum ipse alleget. Ruiz. Disp. 69. de Scient. DEI. Sect. 8. n. 98. Card. Pallavicinus in libel. de DEO. c. 42. & alij negant Minorem sic in rem præsentem discurreres. Ex una parte potentia resistiva in homine est limitata & finita, tum quod sit creata, tum quod tendat adversus naturalem voluntatis creatæ propensionem in bonum; siquidem hæc voluntas est similitudo quædam ac participatio Dei propendens in bonum: Ex altera verò parte auxilia supernaturalia, quæ latent in divinis thesauris, sunt infinita & infinitis modis præstabilia à DEO, uti dubitari non potest. Ergo fieri nequit, quin auxilia ista divina plus virium ac ponderis habeant ad inclinandam humanam voluntatem, & faciendum effectum, quam potentia illa limitata ac finita ad resistendum. Alia est ratio in igne, qui alios & alios ignes in infinitum producere potest; quia est ex natura ad id necessitatus, & nullam in se habet propen-

sionem, per quam ab actione retrahatur. Videantur citati AA. qui hanc opinionem, quæ valde probabilis est, Authoritate D. Augustini confirmant.

CONTROVERS. XLIX.

DE GRATIÆ DIVINÆ Necessitate,

Durimum refert ad sequentes controversias ritè intelligendas, ut conoscamus, quid homo de se possit: quid per divinam gratiam valeat. Unde Scholarum Coriphæi & antiquiores Magistri, quos secutus est Card. Bellarminus Lib. de gratiâ primi hominis nonnullas quæstiones de varijs hominis statibus moverunt, non curiositate, ut hæretici calumniatur tracti, sed rei tradendæ exigentiâ permoti, ut hæc exactius intelligeretur.

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. **S**tatus humanæ Naturæ universim nihil est aliud, quam ipsa natura humana, prout consideratur speciali aliquo modo disposita ad ultimum finem. Sunt, qui quatuor, qui sex, qui Septem omnino diversos ejulcemodi humanæ Naturæ status enumerant; quatuor tamen præcipue ad rem nostram faciunt.

Primus status est pura Natura, quando scilicet crearetur homo cum potentijs rationalibus & sensitivis, alijsque perfectionibus naturaliter debitis: & cum defectibus naturalem corporis constitutionem consequentibus, ut sunt fames, sitis, fatigatio, morbi, mors &c. neque habet aliquid indebitum sibi, sive bonum sive malum; adeoque neque peccatum saltem grave, neque gratiam aut aliud donum supernaturale. Unde duo includit hic status, ut docet Suarez. Tom. 1. de grat. prologom. 4. c. 1. n. 3. positivum unum, nimirum perfectiones naturæ debitas; alterum quasi negativum, scilicet imperfectiones naturaliter consequentes præter generalem providentiam naturæ proportionatam. Hic status humanæ Naturæ in naturalibus neque dabitur, neque unquam datus fuit, tamen gentiles Philosophi, quibus melius fidei lumem nunquam affulsit, de facto hominem in tali statu conditum putarunt.

II. *Secundus status est Natura integra,* quem aliqui confundunt cum statu iustitiæ Originalis, de quo alibi. Tanner tamen Tom. 2. D. 6. q. 1. dub. 1. n. 17. cum alijs putat, juxta D. Thomam 1. 2. q. 109. a. 2. statum Naturæ integræ non dicere gratiâ Sanctificantem, quam tamen certum est includi in Iustitiâ originali, sed tantum alteram partem illius iustitiæ, videlicet compositionem & subjectionem Naturæ, quæ appetitus inferiori superiori, & superiori rationi perfectè subijcebat, ita ut à rationis imperio

& præ-

& præscripto nunquam discederet; dicitur autem istiusmodi subiectio pertinere ad statum naturæ integræ, non quod sit illi debita aut connaturalis (damnata est enim propositio 26. Michaëlis Baij afferentis, quod talis integritas fuerit debita naturæ humanæ.) sed quia hominem iuvaret ad servandam integrè legem naturæ, & faciendâ omnia, quæ lumen naturæ dicitur faciendâ, ut explicat Granado in Præfat. de grat. c. 3. n. 10.

III. Tertius status est *Naturæ lapsæ in peccatum originale vel personale nondum recuperatâ gratiâ.* In hoc statu Natura humana amisit Justitiâ originalem cum donis supernaturalibus, & ad summum eas animæ vires retinuit, quas habitura fuisset in puris naturalibus. Pro hoc statu melius intelligendo duo adverte ex Suarez. Prolog. 4. Primum. etiam communiter homo in statu Naturæ lapsæ accipitur pro eo, qui fuit in peccato originali & personali mortali, & ideo caret integritate, quantumvis de factò gratiam justificantem habeat, hoc loco tamen accipitur Naturam lapsam in peccatum, nondum recuperatâ gratiâ; unde hic status includit peccatum. Alterum est, quod homo in statu naturæ lapsæ dicitur per peccatum spoliatus gratuitis, & vulneratus in naturalibus; quod effectum venerabilis Bedæ in c. 12. Lucæ velut axioma receptum est ab omnibus Theologis, Teste Tanneri D. 4. de peccatis Q. 10. dub. 1. n. 20. Porro per gratuita dona, quibus homo in hoc statu dicitur spoliatus, intelligitur gratia Sanctificans, habitus Charitatis, alijque cum hoc necessariò connexi; vulnera autem homini in naturalibus inflicta sunt quatuor. 1. Ignorantia in intellectu, non quod nullam veritatem practicam agnoscere amplius possumus, ut Sectarij volunt, sed quod veritates has rarius attingamus, easque non absque difficultate comparemus. 2. Malitia in voluntate, quæ non est peccatû, sed quædam ad peccatum proclivitas & horror ab opposito bono seu honesto. 3. in appetitu concupiscibili concupiscentia, seu ad bona sensibilia & inordinatas delectationes propensio. 4. denique in irascibili infirmitas, & ad perumpumpendas difficultates in exercitio virtutum languor. His donis gratuitis spoliatus & istis insuper vulneribus affectus homo habet se aliquomodo sicuti in statu puræ Naturæ; in illo autem statu Naturæ lapsæ effectus potius & pœna peccati dicuntur.

IV. Quartus denique est, *Naturæ per Christi gratiam reparatæ*, qui dicit gratiam Sanctificantem & habitus supernaturales, quibus Natura per peccatum denudata erat, mediantibus verò sacramentis rursus eisdem donata. Quamvis autem hic status reparat in homine præcipuam partem justitiæ originalem, gratiam scilicet Sanctificantem cum alijs habitibus supernaturalibus, non tamen liberat hominem ab omnibus malis, quæ per peccatum contraxit; quippe manet adhuc illud ad Galat. 5. v. 17. *caro concupiscit adversus spiritum.* &c. His præmissis.

V. *Doctrina prima.* Possibilis est status Naturæ puræ, adeoque Natura tam Angelica quam Humana, potuit condi sine ullo dono supernaturalis gratiæ in puris naturalibus. Ita Catholici Doctores. Probat 1. Ex S. Script. Genes. 3. v. 19. dicitur Adamo: *pulvis es, & in pulverem revertetur.* Et Ecclesiast. 17. v. 1. & 2. habetur: *Deus crea-*

vit hominem de terra, & secundum se vestivit illum virtute. Ubi Spiritus S. ex Patrum interpretatione duo innuit; unum, quod homo habet ex se, & vi creationis accipit: alterum, quod habet à Deo, & naturæ veluti vestimentum superadditum, nempe dona gratiæ supernaturalia. Et cur absque his merè gratuito super additis creati non possit? In eundem modum parabolam Luc. 10 de eo, qui incidit in latrones explicant Patres Basilius, Ambrosius, Augustinus, Bernhardus &c. Unde. Probat 2. ex PP. S. Dionys. de divinis Nom. c. 4. p. 4. de dæmonibus sic scribit: *nec angelica munera illis tributa aliquando permutata, sed integra sunt penitusque conspiciunt.* Ergo sicuti in Angelis sine gratia & peccato stat integra natura, sic & in hominibus stare potest. S. Basilius L. de Spiritu S. ad Amphilochem c. 16. scribit: *non enim naturâ sanctæ sunt celorum virtutes.* Ergo indebita est illis sanctitas, adeoque condi ab initio sine illa potuere. S. Augustinus L. 12. de Civit. Dei. c. 9. Simul, inquit, in eis (Angelis) & *condens naturam: & largiens gratiam.* Ergo superaddita gratia ad conditionem naturæ non pertinebat. S. Chrysost. hom. 19. ad populum Antiochenum sub finem, *concupiscentia radix*, ait, *habet à naturâ principium; concupiscere enim naturale: male verò concupiscere jam est voluntatis.* Similia habent alij PP. apud Bellarm. L. de gratia primi hominis c. 6. quibus consentiunt S. Thomas & cæteri Scholastici. Probat 3. ratione. Tum quia naturale est corpori animali sensu & appetitu prædicto concupiscere bonum sensibile: naturale quoque Spiritui rationali concupiscere bonum spirituale. Ergo si ex his una fiat natura, erit huic naturale habere diversas interque se repugnantes propensiones; & quæ implicancia possibilitatis hujus? Tum quia cum creati in statu puræ naturæ nihil sit aliud, quàm creati cum perfectione sua essentiali, omnibusque facultatibus & accidentibus connaturalibus & concursu divinæ providentiæ ac sine bono & malo naturæ superaddito, manifestum est; Deum potuisse creare hominem perfectum essentialiter, & reliqua, quæ diximus, præstare sine superadditis bonis supernaturalibus & sine peccato pœnisque ei debitis, uti magis patebit infra in refutatione oppositi erroris, & argumentorum, quæ pro isto asseruntur, solutione.

VI. Cæterum lis est inter Scholasticos, utrum homo in statu naturæ lapsæ debilior sit ad bene operandum, quàm in statu puræ naturæ? Affirmat Esparza Tom. 1. de grat. actual. Q. 9. post Alvarez lib. 6. de auxil. Disp. 45. & 47. ac non paucos Thomist. nixus maxime auctoritate Concilij Tridentini Sess. 7. can. 1. in quo haberi arbitrat, hominem per peccatum incurrisse moralem necessitatem peccandi ob vehementiam concupiscentiæ incitantis & diaboli impellentis. Negat Suarez Tom. 1. Prolog. 4. c. 8. num. 2. cum Cajetan. Scoto, Vasquez, Molina, Tanner & pluribus alijs. Tum quod in statu Naturæ puræ lapsæ nulla facta sit mutatio & imminutio virium, ex qua major illa debilitas proveniat. Tum quod actus primus præcedens actiones liberas sit æquè bene constitutus in utroque statu, eodémque modo fluant omnia tam salutaria quàm noxia, quæ sunt extra hominem: quæ autem intra hominem sunt, ut species, Spiritus vitales, humores &c. connaturaliter ab his extrinsecis dependant, & ad illorum variatiorem variantur. Ad Trident.

dici potest, hominem in statu naturæ lapsæ vehementius quidem à concupiscentia incitari, & à diabolo ad peccandum impelli, quam in statu puræ naturæ, sed non eoque, ut moralis sit necessitas peccandi; certè hæc ex Concilio Tridentino non evincitur. Utraque sententia est probabilis, sed posterior, uti communior, & Divinæ Bonitati conformior, ita omnino præferenda. Itaque in utroque statu eadem est ratio hominis quoad facultatem bene operandi, & moraliter non peccandi interveniente quodam favore non debito homini, sed quem DEUS præcisè ex Bonitate sua præstat, & prudenter ab isto sperari potest. Videantur cit. Authores, ad quos, ut dixi, lis hæc spectat.

VII. *Doctrina secunda.* Homo destitutus virtutibus supernaturalibus fidei, Spei, & Charitatis nullum actum supernaturalem potest elicere sine auxilio gratiæ actualis, quæ suppleat defectum illarum virtutum. Ita Catholici & sæpe doctrinâ hæc definita fuit in antiquis concilijs Palæstino, Africano, Arauficano, Milevitano, & novissimè in Tridentino. Sess. 6. can. 3. his verbis: *Si quis dixerit sine prævenientis Spiritus S. inspiratione, atq. ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pantere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Quod etiam constat ex Script. Joan. 15. v. 5. *sine me nihil potestis facere.* 2. ad Corinth. 3. v. 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid boni à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est.* Ad Philipp. 2. v. 13. *DEUS est, qui operatur in nobis velle & perficere.* Jacobi 1. v. 17. *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre Luminum.* Hinc D. Bernardus Serm. 1. de Annuntiat. ait: *neceffe est, primum omnium credere, quod remissionem peccatorum haberi non possit, nisi per indulgentiam DEI: deinde quod nihil profus habere possit boni operis, nisi & hoc dederit tibi ipse.* Idem est sensus omnium cæterorum Patrum. Ratio hujus rei clara est ex ipsis verbis. Nam si actus est supernaturalis, non poterit solis naturæ viribus effici; alioquin non superaret naturam: D. Thomas 1. 2. q. 62. a. 3. & q. 109. a. 5. ut corp. ex eo probat doctrinam hanc, quod actus & media conducentia ad finem certum oporteat esse proportionata fini, eâ saltem proportionè, ut non totis ac summis generibus dissent. Cum ergo certum sit, hominem esse ordinatum ad finem supernaturalem, scilicet Visionem Dei, oportet dari actus & media, quibus perducatur ad finem illum, itidem supernaturalia; alioquin si essent merè naturalia, finis & media summis inter se generibus differrent. *Dixi, destitutus virtutibus supernaturalibus.* Nam dubium est inter Scholasticos, utrum homo prædictis illis virtutibus si legat vel audiat mysteria fidei, statim elicere possit actum fidei v. g. absque alia indeliberata cogitatione à Deo immisâ? Negant aliqui. Tum quod Sac. Scriptura Concilia & Patres universaliter loquantur. Tum quod potentia etiam elevata per habitum requirat auxilium adjuvans, quo ad agendum actu moveatur. Affirmant alij ex eo quod potentia naturalis intellectus & voluntatis habitibus supernaturalibus instructæ satis habeant virium ad actus supernaturales eliciendos. Addunt tamen Auctores isti, ipsosmet hos actus habituum supernaturalium auxilio elicitos merito vocari posse gratias Dei, tum quia externa motiva per singularem Dei providentiam proponuntur, tum quia

requirunt supernaturalem Dei concursum, qui simultaneus & semper paratus est. Primam opinionem plerique Theologi vel aperte asserunt, vel tacite supponunt, quam idcirco præferendam absolutè censemus.

VIII. Ex hac doctrinâ & ijs, quæ supra jam diximus, inferuntur septem propositiones fidei; ad quas reduci potest, quidquid de gratia Christi contra hæreticos docet Ecclesia, adque idcirco diligenter ante oculos sunt habendæ. 1. *Liberum Arbitrium non evertitur, etiamsi summè indigeat adjutorio ad omne opus salutare.* 2. *Ad omne opus morale supernaturale sive quocunque modo conducent ad salutem æternam & finem supernaturalem præveniri nos debet gratiâ.* 3. *Initium nostræ justificationis à DEI gratiâ per Christum succedendum est, quâ nullis omnino meritis liberi arbitrij præcedentibus vocamur.* 4. *Ad omnes & singulos actus bonos supernaturales sive quocunque modo conducentes ad salutem indigere nos adjutorio divine gratiæ adjutantis, quæ propterea ad singulos actus datur.* 5. *Omnes & singulas nostras operationes & voluntates bonas quocunque modo conducentes ad salutem Deum in nobis, atq. nobiscum operari gratiâ suâ omnino indebitâ gratiæ omnino datâ non nostris meritis redditâ.* 6. *Hanc Christi gratiam non solum esse necessariam, ut facillè possumus, sed ut simpliciter possimus; nam sine illâ nihil profus homini supernaturalis, hoc est, quocunque modo conducentis ad vitam æternam & supernaturalem finem agere valeamus.* 7. *Denique hanc DEI gratiam non dari propter merita nostra antecedentia gratiam; imò prævenire omne quocunque meritum nostrum, non solum perfectum, sed etiam initium: atque conatum dari propterea solum, circumvenit datur, expura misericordia DEI propter merita ipsius Redemptoris JESU Christi.*

IX. *Doctrina tertia.* Ad actus naturales eliciendos sufficientes vires Naturæ, nec indigent auxilio gratiæ. Ita plerique Theologi. Probat. 1. ex Sac. Script. Ad Rom. 2. v. 14. ait Apost. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* hoc est, Gentiles, licet Scripturæ legis Molai-cæ profus ignari, tamen quædam honesta faciunt naturaliter, id est, ipsius naturæ ductu & viribus. Probat. 2. Ex Trident. Sess. 6. c. 1. ubi ait: *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per vires humanæ Naturæ vel per legis doctrinam sunt absque divinâ per JESUM Christum gratiâ, posse justificari contra DEO, anathema sit;* quibus verbis Concilium manifestè supponit quædam opera honesta & moraliter bona fieri sine gratiâ Christi, sed ad salutem non sufficere. Probat. 3. Auctoritate Summorum Pontificum Pij V. & Gregorij XIII. qui condemnarunt hanc propositionem Michaëlis Baij Professoris Lavanensis 27. *Liberum arbitrium sine gratiâ DEI adjutorio non nisi ad peccandum valet;* ubi manifestè supponunt contrarium, scilicet posse liberum arbitrium sine gratiâ & DEI adjutorio supernaturali aliquid facere, quod non sit peccatum, sed honestum & moraliter bonum. Probat. 4. Ratione. Si ad omnes actus honestos etiam naturalis ordinis requireretur auxilium gratiæ, tum homo gratiâ destitutus non posset parentes, aut liberos, aut uxores, aut benefactores diligere, quod est incredibile; Sicut & illud incredibile est, DEUM omnibus alijs creaturis sufficientes vires subministrasse ad actiones suæ naturæ consentaneas, soli homini omnium visibilium præstantissimo tam debilem naturam tribuisse, ut nihil suæ naturæ congruum, id est, rationabile ac honestum moraliterque bonum efficere possit. Quapropter homo

homo in statu Naturæ lapsæ absque speciali gratia potest primò cognoscere multas veritates speculativas : non tamen omnes collectivè. secundò multas veritates practicas ordinis naturalis : non tamen iterum omnes. tertio efficere aliquod opus moraliter bonum , & leves superare tentationes cum concursu Dei generali. quartò diligere Deum aliquò modò. quinto amare Deum aliquò amore benevolentie , non tamen amicitie , aut super omnia ; illud enim requirit amorem totius legis naturalis , & firmam voluntatem superandi omnes tentationes , & difficultates oppositas , quorum utrumque vires naturæ transcendit.

X. Hanc communem doctrinam omnibus machinis impugnat Vasquez. 1. 2. D. 190. à c. 4. usque ad 13. & conatur probare præsertim auctoritate Sac. Script. & Conciliorum universim asserentium nihil boni posse fieri sine gratia absque ullà distinctione operum naturalium & supernaturalium Joan. 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere.* 2. ad Corinth. 3. v. 5. *non sumus sufficientes cogitare aliquid boni à nobis.* Concil. Arauf. can. 22. *nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum;* si autem suis viribus posset aliquid naturaliter honestum agere , illud non esset mendacium & peccatum. Verùm quamvis Sac. Scriptura & Concilia citatis locis videantur universaliter loqui de omni bono opere etiam naturali, tamen juxta SS. Patrum interpretationem intelligenda sunt de operibus supernaturalibus ad æternam salutem conducen- tibus, quorum respectu cætera omnia nihil æstimantur juxta phrasin Apostoli 1. ad Corinth. 13. v. 2. *Si charitatem non habuerò nihil sum.* Et nisi hoc modo explicentur ac limitentur , repugnabunt alijs locis in doctrina nostra adductis. Nec aliquem terreat illa universalitas concilij Arauficani , *hominem de suo nihil habere nisi peccatum & mendacium,* quibus etiam naturalis honestas videtur excludi ; quia intelligenda sunt illa verba de operibus in supernaturali materiâ versantibus , de quibus agebat Concilium contra Pelagianos. Interim non negamus , si nomen Gratie latius sumatur pro omni liberali & gratuito dono DEI , etiam opera naturalia egere gratiâ Dei , qui suâ providentiâ suggerit bonas cogitationes, quando non debet, aut fortiores, quam debet, & bonas occasiones suopeditat , ac removet obstacula. Plura de hac difficultate Scholastici.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XI. **E**rror primus est , statum Naturæ puræ impossibilem esse. Ita Lutherus in Genes. c. 3. Calvinus L. 1. Instit. c. 15. §. 1. & 4. Item L. 2. c. 1. & 6. alijque hæretici, quos sequitur Jansenius tum alibi, tum tom. 2. L. 1. de statu puræ Naturæ c. 3. col. 687. & 713. asserens , *sine amore DEI & justitiâ creatura rationalis nec recta esse, nec condici potest;* quod idem est, ac implicare statum puræ Naturæ. Probant 1. Auctoritate S. Augustini, qui diversis in locis apertè asserit, *concupiscentiam esse malam, esse à peccato, à diabolo.* Quomodo ergo, inquit Jansenius eadem concupiscentia,

quæ est in natura lapsa, potuit creari à DEO in statu puræ naturæ ? Probant 2. Tum quia, si justitia originalis fuisset supernaturalis, sequeretur concupiscentiam fuisse naturalem & per se bonam, ac à Deo; sed hoc negat Scriptura. 1. Joan. 2. v. 16. Et ad Rom. 7. v. 8. &c. Tum quia si crearetur pura Natura, omnia ejus peccata Deo Auctori, non creaturæ imputari deberent. Tum quia æterna beatitudo finis est hominis naturalis. Ergo homo debuit habere media naturalia ad finem illum consequendum. Ergo justitia, quæ fuit necessaria ad beatitudinis consecutionem, fuit homini naturalis.

XII. Errorem hunc unanimiter constantèrque rejecerunt Catholici Doctores cum S. Thomâ & Scoto Angelico & subtriti Scholarum Magistris, quorum ille P. 1. Q. 95. a. 1. in corp. ait: *Manifestum est, quod illa subjectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem non erat naturalis; alioquin post peccatum mansisset, cum etiam in demonibus data naturalia post peccatum permanserint.* Ille verò in 2. dist. 28. q. unicâ scribit: *Potuit aliquis esse in puris naturalibus tam sine gratia, quam sine culpa.* Equidem gravi censura Nos ferit Jansenius tom. 2. L. 3. de statu puræ naturæ c. 25. col. 945. quasi ex miserijs puræ naturæ cogere ad diversas impietates, blasphemias in Deum &c. Sed si hæc Jansenij censura subsisteret, obligaremur ad arguendum imprudentiæ, temeritatis, & erroris summos Pontifices Pium V. & Gregorium XIII. dum damnarunt præsentem errorem in hac damnata propositione 53. Michaëlis Baij: *DEUS non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.* Non igitur Nos, sed Jansenium ferit censura Pontificia.

XIII. Respond. 1. ad Auctoritatem S. Augustini, agnovisse S. Patrem bene duplicem concupiscentiam; unam in naturâ lapsâ opponentem se rationi tali vehementiâ, ut difficulter per vires naturæ resisti ei possit, nisi natura adjuvetur à gratiâ per Christum: aliam verò in natura pura, quæ hominem ad peccandum ipsa quoque impelleret, ita tamen moderatè, ut homo suis viribus relictus haud ægrè vincere illam posset; priorem concupiscentiam S. Doctor ait esse malam, à peccato, à Diabolo, & à Deo non nisi permissive. ut qui creaturis suis vires dat sufficientes absque graviore difficultate ad finem suum naturalem consequendum: posterior verò concupiscentia statui naturæ puræ congruens cum mala non sit, non est ratio, cur à Deo esse nequeat.

XIV. Resp. 2. Ad 1. Rationem. Concupiscentiam carnis nunc quidem esse pœnam peccati: at verò homini in puris naturalibus condito sine dubio futuram fuisse naturalem, non quidem, ut bonum aliquod naturæ, sed ut defectum & quasi morbum quendam naturæ ex conditione materiæ consequentem, Dicit Amesius tom. 4. f. 6. concupiscentia est propensio carnis in bonum sensibile, in quod per sensum & appetitum fertur. Atqui propensio rei in suum objectum naturale est bonum Naturæ, non defectus, non morbus ex natura dependens, sed ex causa prima, quæ singulis facultatibus suas indidit propensiones. Hæc aliæque instantiæ ejusdem Puritani evanescent, si observetur, Concupiscentiam sumi tum pro potentia, tum pro actu: Et rursus tam hunc, quam illam accipi vel latè pro potentia & actu appetendi bona tantum sensibilia, vel pro vi erumpen-

erumpendi, & ipsa eruptione in actus malos ac turpes. Si igitur concupiscentia fumatur pro potentia, sine dubio est naturalis perfectio à Deo nobis insita, & bonum naturæ, quatenus est principium bonorum actuum: prout verò potest erumpere in actus malos & turpes, est defectus perfectionis, perinde ut defectus & imperfectio est, quod mori possimus, etiamsi perfectio sit, quod vivamus. Atque de concupiscentia hoc posteriori modo locuti sumus, quando eam in responsione diximus defectum, & quasi morbum Naturæ. Scriptura allegata loquitur de eadem, ut modò in nobis se habet per peccatum deteriorata.

XV. Respon. 3. *Ad. 2. Rationem.* Cum etiam in statu Naturæ puræ teneretur creatura rationalis conformare se rectæ rationis regulæ, nec ad hoc præstandum denegaret Deus media illi statui congruentia, non esse, cur in Deum, & non potius in creaturam defectus eius refunderetur, sicuti nec fabro ferrario tanquam auctori imputatur contracta rubigo gladii ferrei; tamen ille hunc euderit. Taceo, rebellionem illam nec propriè peccatum esse, nec necessariò ad peccatum inducere.

XVI. Respond. 4. *Ad 3. probationem.* Beatitudinem, quæ in aliquâ Dei contemplatione & dilectione consistit, esse duplicem; unam naturalem, alteram supernaturalem; priorem appetere hominem appetitu innato: ad posteriorem habere solum potestatem obedientiale, ideoque non appetere illâ appetitu naturali. Debet autem homo appetitu elicitò & actuali desiderio rite ordinato appetere efficaciter illâ beatitudinem, ad quam re ipsa est ordinatus, quam tamen beatitudinem supernaturalem & ordinationem in istam non innotescere citra revelationem divinam supernaturalem, manifesta docet experientia in Philosophis, qui nec conjectando in aliquam ejus venerant notitiam; unde & in eis appetitus illius beatitudinis esse non potuit, nisi forsân & ad summum inefficax & conditionalis, si esset possibilis. Ad hunc ergo supernaturalem & indebitum finem, cum Deus merè gratuitâ liberalitate hominem ordinaverit, ut cum S. S. Patribus & D. Thoma 1. P. q. 12. Scholastici communiter docent, potuit is ab eadem ordinatione abstinere utpote sibi libera, & hominem ad solam beatitudinem naturalem destinare.

XVII. *Error secundus est Pelagij.* qui Natione Britannus. Professione Monachus. S. Augustino coætaneus susceptâ humani arbitrij causâ docuit sequentia. *Primum.* Vires naturales liberi arbitrij sufficientes sunt ad quodlibet bonum æquè ac malum: potest insuper homo sine ulla gratia superaddita vel adjutorio indebito & sine peccato vivere, & omnia Dei præcepta servare, ac tandem ad Dei gratiam atque amicitiam se se disponere per merum bonum Naturæ usum. *Secundum.* nomine Gratia divina, cui prædicta omnia in Sac. Scripturis imputantur, intelligi voluit potentiam ipsam liberi arbitrij rationalis. Verum vel doctior vel callidior factus, adjunxit postea libero arbitrio aliam gratiam à Deo acceptam, nempe legem ac doctrinam, per quam scimus, quid Deus jubeat, quid veter, & quid à libero arbitrio requirat. *Tertium.* argumentis Catholicorum præsertim S. Augustini oppressus admisit aliam etiam in dies singulos nos accipere à Deo gratiam interiorem,

quâ intellectus illuminatur, & torpens voluntas excitatur; sed istant gratiam, quâ propius accedebat ad veram Christi gratiam, aiebat juvare solum voluntatem, ut facilius faciat, quod sola facere simpliciter posset. *Quartum.* gratiam semper secundum merita dari, quod intelligendum est de ista gratia superaddita, ne scilicet Deus foret acceptator personarum, si æqualibus inæqualia dona divideret. Itaque hæresiarca iste errarit asserendo, *Gratiam Dei non esse necessariam ad ullos actus salvificos, sed cum solis naturæ viribus posse hominem remissionem peccatorum obtinere, omnia Dei mandata observare, & vitam æternam promereri.* Videtur inductus hoc fore discursu, quo veluti fundamento nititur. Natura humana secundum se est capax legis & præceptorum. Atqui Deus non præcipit impossibilia. Ergo habet homo ex natura sua vires ad illas leges servandas. Ergo non est illi ad easdem servandas necessaria gratia saltem distincta à dono creationis, promissionis vitæ æternæ, & legis ac doctrinæ, quæ oculos cordis aperiat atque illuminet ostendens bonum & malum. Confirmant hoc fundamentum Pelagij Sæcutores 1. ex Sac. Scriptura, Zacharia 1. v. 5. *Convertimini ad me, & ego convertar ad Vos.* Proverb. 16. v. 1. *hominis est preparare animam, & Domini dirigere linguam.* 2. ex S. S. Patribus nominatim D. Hieronymo asserente, *nostrum esse velle, Dei autem implere.* 3. Ex communi axiomate: *facienti, quod in se est, DEUS non denegat gratiam.* 4. potest quis dolere de offensa amici. Cur non etiam de offensa DEI? 5. Dilectio Dei super omnia est homini naturalis. Ergo viribus naturæ haberi potest. 6. Infideles credunt multa non minus difficilia, quam sint fidei nostræ articuli v. g. continuum esse divisibile in infinitum &c. 7. *Testimonia DEI credibilia facta sunt nimis.* Psal. 92. v. 5. Ergo sine auxilio speciali elici potest circa illa actus fidei, quod idem proportionaliter de alijs actibus dicendum. 8. Homo justus elicere potest actus honestos naturales, qui tamen absque gratia supernaturali conducent ad salutem, utpote dignificati extrinsecè per gratiam habitualem hominis justit. Ergo absolute non requiritur ad actum salutiferum auxilium supernaturale. 9. Denique quia Christus L. II. v. 9. ait: *petite & accipietis &c.* quibus verbis indicat, orationem & necessariam & efficacem esse ad operandum bona naturalia æquè ac supernaturalia. Atqui oratio ista est naturalis; secus enim supponeret gratiam supernaturalem, & ista aliam, atque ita in infinitum. Ergo universim actus naturalis potest esse salutaris.

XVIII. Hunc Pelagij & Aseclorum errorem vehementissimè impugnavit, & insectatus est S. Augustinus, ut ex varijs ejus Scriptis patet, ac nominatim in Lib. de Prædest. S. S. c. 5. ubi ait, *quod ad Religionem & Pietatem attinet, non esse nos sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis juxta apostolum 2. ad Corinth. 3.* Id ipsum alij etiam Patres egregiè præstiterunt, & ut supra jam diximus, diversa deinde Concilia eundem errorem rejecerunt; quorum quâ parte ad nostrum institutum spectant, summa hæc ferè est. A lapsu Adami nullum opus bonum, quod ad negotium justificationis & salutis quomodolibet per modum meriti seu condigni seu congrui, & per modum dispositionis conducit, exerceri, ad quod non sit simpliciter necessarium auxilium gratia per Christum.

Et me-

Et merito sanè. tum propter apertos Sac. Scripturæ textus supra allegatos, quibus hunc addo ex 1. ad Corinth. 12. v. 3. ubi, inquit, Apostolus, *nemo dicere potest Dominus JESUS* (credendo scilicet in eum) *nisi in Spiritu S.* tum quia implicat naturam habere vim naturalem sufficientem in actu primo ad aliquem effectum intrinsecè supernaturalem. Unde.

XIX. Respond. 1. ad fundamentum Pelagij, Deum impossibilia non mandare, quin suam simul largiatur gratiam, quâ adjuti possimus præcepta supernaturalia v. g. fidei, Spei, & Charitatis observare, & actus elicere, prout ad salutem conducunt; quod adjutorium sanè necessarium est; hoc ipso enim, quod isti actus in substantia supernaturales sint, & naturæ vires superent, absolute supernaturale principium exigunt, à quo producantur, adeoque vires merè naturales ad eosdem non sufficiunt.

XX. Respondetur 2. Ad confirmationes Pelagianorum, has fuse rejici à Scholasticis, & Card. Bellarmino, nos breviter & ordine respondemus. Ad 1. cum S. Augustino epist. 8. ad Bonifacium hæc Sac. Scripturæ textibus solum commendari liberum arbitrium, cujus consensum ad conversationem Deus requirit: at non propterea gratiam prævenientem excludit. Ad 2. SS. Patres ac nominatim D. Hieronymum L. 3. in Pelag. non excludere gratiam prævenientem à nostro velle, sed solum intendere ac docere, nos posse multa velle cum adjutorio Dei, quæ sine ampliore nequimus implere: Sed solius Dei esse efficere, ut aliquando illa, quæ volumus, impleamus v. g. volumus sine omni peccato vivere, & nullum experiri rebellem motum, quod cum eodem adjutorio non possumus, donec advenerit redemptio corporis &c. Videatur Bellarm. De grat. & lib. arbit. L. 6. c. 6. Ad 3. intelligi hoc axioma non posse de faciente, quod in se est ex proprijs viribus; quia sic ut summum efficere potest actum aliquem honestum naturalis ordinis, qui defectu proportionis ad formam supernaturalem disponere nequit. Itaque juxta S. Thomam 1. 2. q. 109. art. 6. ad 2. & cætos Theologos sensus est: facienti quod in se est ex gratiæ auxilio, DEUM non denegare ulteriorem gratiam. Ad 4. negando consequentiam, Nam etiam agnoscat homo summa DEI in se beneficia, non tamen rectâ ad ista consideranda movetur, ut inde concipiat peccati odium, nisi à DEO præventus. Bene autem notat Bellarm. facilius esse diligere se ipsum, aut aliam creaturam super omnia, quàm Deum, tum quia sensibilia melius cognoscuntur, tum quia natura corrupta semper ad se inclinatur. Ad 5. transeat antecedens. Negatur consequentia cum Bellarm. Lib. 6. de Gratia & Lib. arbit. c. 8. & alijs; quia, inquit, potest aliquid esse naturale, non tamen obtineri absque medio supernaturali, sive, quod in idem coincidit, potest aliquid esse naturale quoad ordinem, non tamen quoad executionem.

XXI. Ad 6. & alias similes objectiones adverte; aliud esse credere simpliciter articulos fidei; aliud credere, sicuti oportet; prius non negamus viribus Naturæ haberi posse, sed posterioribus, cuius tres sunt conditiones. 1. rem credendam revelari indubitabiliter à Deo, atque ita credi. 2. adeo firmam esse fidem, ut omnibus præferatur supplicij ac malis. 3. ut pio affectu in Deum credatur quò incipiat homo captivare suum in-

tellectum in obsequium fidei. Hoc posito. Dicimus, Philosophos vel habere demonstrationem rerum, quas credunt, ut divisionis continui: vel non firmiter aut piò affectu adherere ipsidem, sicuti tamè articulis fidei adherere oporteret. Ad 7. Res credibiles sine aliâ gratiâ credi posse, sed humana fide, nō divinâ; argumenta enim, quæ articulos fide nostræ credibiles faciunt, non talia sunt, ut fidē omnino indubitatam faciant, nisi mens divinitus adjuvetur Ad 8. Negando antecedens. Nam gratia non dignificat opus, nisi quod ab illa procedit. Si ergo vel non detur intuitu gratiæ sanctificantis auxilium aliquod actuale: vel illud detur quidem, modicum tamen, & bonitas objecti per tale auxilium proposita non attendatur, sed ab operante negligatur, tunc sicut gratia non infuit in ejusmodi opus, ita nullam eidem dignitatem confert, quâ evadet positivè disponens ad vitam æternam. Ad 9. denique cum Suarez. Tom. 2. De relig. L. 1. c. 8. ad orandum, ut oportet, haud dubie necessariam esse gratiam supernaturalem, quod putat cit. Auctor ita in Concilijs & Scripturis expressum, ut veluti dogma fidei tenendum sit; si enim neque cogitare aliquid sumus sufficientes ex nobis, quanto minùs orare, prout oportet, quod longè plus utilitatis habet ad salutem nostram, quàm multa alia opera salutaria. Et hinc Araucanicum II. sicuti damnat dicentes misericordiam non conferrì quærentibus, peccantibus, pulsantibus: ita ibidem definit, per infusio-nem Spiritus Sancti in nobis fieri, ut hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus; quæ est doctrina S. Augustini in omnibus libris contra Pelagium, ut idem Auctor testatur. Precessus in infinitum facile sistitur dicendo, ad orandum sæpe nos excitari per gratiam purè prævenientem, id est, quæ nullam supponat aliam nostram orationem aut meritum; Deus quippè dat aliqua dona antecederet ad orationem, inter quæ est gratia ad ipsam orationem, alia non nisi orantibus præparat.

XXII. Error tertius est eorum, qui ab urbe, in qua habitabant, Massilienses, & ab eo, quod non totum errorem Pelagij, sed reliquias quasi aliquas ejus doctrinæ mordicus retinerent, Semi-pelagiani sunt appellati. Hi ergo gratiam quidem agnoverunt, sed quæ daretur conantibus nobis, & conatu naturali arbitrij nostri merentibus; ut superior gratia nobis opitularetur. Sed hunc errorem breviter indicatum commodius refellemus infra in controv. de Prædestinat. ubi etiam oppositam Catholicam doctrinam exponemus.

CONTROVERS. L.

DE VI ET POTENTIA GRATIÆ ACTUALIS.

Sensus propositi tituli est, Utrum cum auxilio Gratiae Dei possimus servare omnia præcepta, & omnia peccata vitare: aut an eadem DEI mandata observatu impossibilia sint? quod impingere Deo non fuit ausus Pelagius, ut priore controv. §. XVII. in ejus fundamento vidimus. Idem in epistola ad Demetriadem dicit: *Adscri-*

limus iniquitatem iusto, & pio crudelitatem, dum Deum impossibile aliquid præcepisse conquerimur.

PARS PRIOR
DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. **D**octrinaprimum. Cum Gratia Dei servare possumus omnia præcepta sub mortali obligantia: & sic vitare omnia peccata mortalia. Ita omnes Catholici. Probatum 1. ex S. Scriptura utriusque Testam. Deuteronomio. 30. v. 11. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, sed iuxta te est sermo valde in ore tuo & in corde tuo, ut facias illud.* Math. 11. v. 30. *Fugum meum suave est & onus meum leve.* 1. Joan. 5. v. 3. *mandata eius gravia non sunt.* Ad Philippenf. 4. v. 13. *omnia possum in eo, qui me confortat.* 1. ad Corinth. 10. v. 13. *fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* Probatum 2. ex Concilio Arausico. 2. Can. 25. *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati auxiliante & cooperante Christo, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si videlicet laborare velint, adimplere.* Trident. Sess. 6. c. 11. *nemo remerariâ illâ & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti debet, Dei præcepta homini iustificato ad observandum esse impossibilia.* Idem Can. 18. *si quis dixerit Dei præcepta homini etiam iustificato & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Rursus. c. 11. *Deus impossibilia non jubet, sed iubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis & adjuvat ut possis.* Probatum 3. ex SS. Patribus. D. Basilius in orat. attende tibi: *impium inquit, est dicere, impossibilia esse spiritus præcepta.* Idem in Regul. brevior. Respons. 176. *sine dubio autem non præcepisset hoc, qui bonus & iustus est, nisi etiam facultatem, quâ id faceremus, fuisset largitus.* Chrylost. Hom. 8. de pæniti: *nequaquam Dominum incusare; haud mandat impossibilia, multi & ipsa superant mandata.* Ergo si impossibilia fuissent, minus suâ sponte superassent. S. Augustinus Serm. 191. de tempore sic scribit: *excramur blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum, & mandata Dei non à singulis sed ab omnibus incommuni posse servari.* Similia habent alij. Probatum 4. Ex S. Thoma & Theologis. Angelicus Doct. de veritate q. 24. a. 14. ad primum sic scribit: *quod præcipit Deus, non est impossibile homini ad servandum, quia & substantiam actûs potest ex libero arbitrio servare, & modum, prout scilicet fit ex Charitate, potest servare ex dono Gratia.* D. Thomæ consentiunt reliqui Scholastici DD. ut opus non sit singulos vel plures asserre. Solus contra Janfenium Episcopum Ipresensem melior audiatur Cornelius Janfenius Episcopus Gandavensis in Concord. Evang. c. 47. *legis, inquit, nova præcepta commodissima, eo quod in nobis planè sit eorum adimpletio, quid enim in nobis magis est situm, quam credere & diligere.* Probatum 5. tribus rationibus. 1. Si præcepta Dei essent impossibilia observatu, nemo peccaret illa transgrediendo, cum ad impossibilia nemo teneatur. 2. Quia nullum præceptum in specie potest ostendi, quod sit impossibile servatu. 3. Quia de facto multi custodiunt

& custodierunt omnia Dei mandata, ut saltem mortaliter nunquam transgredierentur. sic affirmat Scriptura de Josue c. 11. v. 15. *Sicut præcepit Dominus Moysi servo suo, ita præcepit Moyses Josue, & ille universa complevit, non præterijt de universis mandatis nec unum quidem verbum.* Lucæ 1. v. 6. de Zacharia & Elifabeth dicitur: *erant iusti ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Dei sine querela.* Confirmatur Doctrina nostra. Christus passus est, ut iustificatio legis adimpleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum ad Rom. 8. v. 4. & factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ ad Hebræos. 5. v. 9. At si lex impleri non potest, ista omnia erunt frustræ.

II. **D**octrina secunda. Mandata Dei sub veniali tantum peccato obligantia cum ordinariâ Dei gratia non possunt omnia simul servari, ac consequenter non possunt omnia peccata venialia vitari. Ita cum S. Thoma. 1. 2. Q. 109. cum multis Catholicorum DD. apud Tanner Tom. 2. D. 6. q. 3. cit. N. 172. Probatum 1. ex S. Scriptura. 3. Reg. 3. v. 49. *non est homo, non qui peccat.* Psalm. 13. v. 3. *Dominus de coelo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens aut requirens Deum, omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usq; ad unum.* Prov. 24. v. 16. *septies in die cadit iustus Jacobi 3. v. 2. in multis offendimus omnes.* Nam nihil omnino peccare proprium est Dei, inquit Clemens Alexandrin. L. 1. Pædag. Christ. c. 2. Probatum 2. ex Concilio Milevitano expendens hæc verba 1. Joan. 1. v. 8. *si dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* ait can. 6. *quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportet dici, nos habere peccatum, non quia veritas est, anathema sit.* Tridentinum Sess. 6. can. 26. ita statuit. *Si quis dixerit, hominem posse totâ vitâ omnia peccata vitare etiam venialia, nisi ex speciali DEI privilegio, quandoquod de Beatissima Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Pro mente hujus Concilij rite intelligenda advertendum 1. Cum negat, omnia venialia posse vitari, non loquitur de singulis in specie, sed de omnibus collectivè sumptis; etenim singula vitari possunt, sed non omnia simul, quod insinuat Concilium illis verbis: *in tota vitâ.* 2. non loquitur de potestate sufficienti, quæ nulli deest ad vitandum etiam collectivè omnia venialia, sed tantum de efficaci, quæ in actum exeat; quia Concilium c. 11. eam impossibilitatem probat ex facto, quod nemo observet omnia: non quod nemo possit observare omnia, si velit. 3. loquitur de gratia ordinaria, quam Deus communiter hominibus largiri solet, non quam possit largiri, nam si vellet, posset omnibus semper dare gratiam efficacem ad vitanda omnia venialia, sed non dat, nisi paucissimis singulariter dilectis, uti Beatissimæ Virgini. Cæteris hominibus magis expedit tum ad humilitatem, tum ad patientiam, ut quandoque in venialia labi permittantur. Unde S. August. L. de naturâ & gratiâ c. 6. *Cum de peccatis agitur, nullam protinus, ait, se habere velle questionem de Beatissima Virgine propter honorem Domini: excepta verò hæc, si omnes, inquit, sanctos, si hic viverent, congregare & interrogare, possemus, utrum essent sine peccato, unâ voce clamarent: si dixerimus &c.* 1. Joan. 1. v. 8. Porro impotentiam hanc revocant Theologi potissimum ad duo capita. 1. est ipsius humanæ voluntatis volubilitas, quam experientia ostendit.

ostendit varietate gaudere, neque ita fixam manere circa idem objectum, vel in eodem operandi modo. 2. est. innumeræ peccandi tentationes oræ ex appetitibus in objecta sensibilia propensione, dæmonis infestatione, aliisque peccandi occasio- nibus frequentissimis, quas omnes vincere & dif- ficillimum, & consequenter moraliter impossi- bile est. Hæ causæ probant, nec in statu puræ natu- ræ adfuturam fuisse potentiam moralem vitan- di totam collectionem venialium collectivè sum- tam per longum tempus, ut bene advertit Espar- za mox citandus.

III. Objicitur 1. Loca Sac. Scripturæ in priore doctrina adducta universaliter loquuntur de om- nibus DEI præceptis, non excipiendo ea, quæ tantum sub veniali obligant. Ergo & hæc obser- vari possunt. 2. Si venialia omnia non possunt vitari, non tenemur ea evitare, cum ad impossi- bile nemo teneatur; consequenter non peccabit aliquis mandata transgrediendo, quæ tantum sub veniali obligant. 3. Nullum veniale in specie assignari potest, quod vitari nequeat, sicuti de mortalibus dictum. 4. vitare omnia venialia collectivè nihil est aliud, quam vitare singula successivè. Sed datur moralis potentia vitandi singula successivè sine speciali privilegio. Ergo &c. 5. Oramus in Litanij liberari ab omni peccato: & proponimus abstinere itidem ab omni; id quod non faceremus, si evitatio omnium venia- lium collectivè esset moraliter impossibilis.

IV. Respond. ad 1. citata loca S. Scripturæ loqui de mandatis ad salutem necessarijs, uti sunt sub mor- tali obligantia. Ad 2. Ad peccatū sufficere potest- tē sufficientem, quæ hic non deest. Tanner loc. cit. n. 179. putat, non extare præceptum omnia pec- cata venialia collectivè vitari jubens; ad hoc autem, ut nullum veniale licitè fieri possit, sufficere, ut Deus jubeat vitari omnia distributivè, & quo- ad fieri potest collectivè. Ad 3. Nullum peccatum in spera esse inevitabile, sed omnia simul sumpta; sicuti enim ex cumulo lapidum quemvis portare potes, sed non omnes simul, ita collectio tot mandatorum DEI videtur humanæ mutabilitati importabilis. Instant. Quando in prima doctri- na dictum fuit, omnia mortalia simul sumpta posse vitari, vel intelligendum est de potestate sufficienti, vel efficaci; si de sufficienti, par est ratio venialium, ut modò dictum: si de efficaci nec de mortalibus est verum; quia plurimi homi- nes non vitant omnia mortalia. Ergo non habent gratiam efficacem ad omnia vitanda. Di- cimus, nec de efficaci solo, nec de sufficienti ac- cipiendam illam doctrinam, sed mixtim de gra- tia moraliter efficaci; quæ licet non semper sit ef- ficax, tamen sæpe & in multis saltem ad longum tempus est efficax; quia nonnulli tota vitâ nul- lum peccatum mortale committunt: multi etiam ad longum tempus abstinent, quod non fit in venialibus, vix enim ullus est, qui vel unum diem sine veniali transgat; unde multi Sancti & do- cti viri quotitè confiteri solent, imò nonnulli sæpius in die. Ad 4. cum Esparza de gratia a- ctuali q. 14. ad 1. distinguendo Majorem; evita- re omnia alia venialia collectivè nihil est aliud, quam vitare singula successivè successione nun- quam interruptâ, concedo: successione interrup- tâ, nego Majorem. Et similiter distincta Minore, nego Consequentiam. Si ergo ponamus de- cem venialia esse possibilis, & singula ex his suc-

cessivè esse observata absque interruptione per a- liquod veniale, tum vitanda etiam omnia col- lectivè: secus verò si successio semel interrup- tur; quia interruptio quælibet per interpositio- nem alicujus venialis contradictoriè opponitur evitacioni omnium collectivè venialium, ut per se patet. Argumentum probat solum potentiam vitandi successivè successione interruptâ. Quan- do igitur dicitur, dari potentiam moralem ad vitanda singula successivè, concedendum id est de potentia morali ad vitanda singula successivè, successione interruptâ; non ad vitanda singula successivè successione non interruptâ. Vide cita- tum Auctorem. Ad 5. quemadmodum oramus, ut fiat Voluntas Dei sicuti in cælo & in terra non omnimodè, sed quantum humanæ naturæ imbecillitas & conditio patitur, ita nos orare, ut ab omni declinemus peccato, quantum scilicet fieri potest, ut saltem pauciora & leviora committa- mus: item proponere, ut ab omni etiam peccato veniali abstinemus, quantum scilicet per hu- manam fragilitatem; & ordinario Dei auxilio fieri potest.

V. Doctrina tertia. Quamvis magna fiducia in auxilio divino sit collocanda, tamen cavenda temeraria præsumptio; nec nimis ardua & ex- traordinaria sine necessitate inchoanda. Nam ta- meti Deo non desit gratia ad quidvis perficien- dum, non tamen cuilibet ad quidlibet datur; quippe unicuique nostrum datur gratia secundum mensu- ram donationis Christi ad Ephes. 4. v. 7. unde er- raret, si quis ex spe divini auxilij vellet omnia imi- tari, quæ in Sacra Scriptura vel vitis Patrum leguntur v. 9. Solus aggrediendo totum exerci- tum hostilem, sicuti fecit Jonathas 1. Reg. 14. at- que exponendo se ultro periculo martyrij & Judicij sistendo, ut de nonnullis SS. Martyribus legitur: incipiendo more veterum Eremitarum au- steriorem vitam, quam corporis infirmitas ferre possit, Ne quis igitur sub specie boni decipia- tur, accuratè investigandum, unde proveniat in- stinctus ille, an à bono aut malo spiritu juxta regulas discretionis spirituum à S. P. Ignatio Loyola Soc. JESU Fund. & alijs traditis, ad- hibito etiam prudentiorum consilio & fulis ad Deum precibus, ut voluntatem suam aperire dignetur.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETI-
CORUM.

VI. Error primus est Lutheri Tom. 1. Jen. fol. 427. Calvinii L. 2. Instit. c. 7. §. 5. & L. 3. c. 14. §. 9. Melanchthonis in Apo- log. Tit de votis monast. Jacobi Hailbrunner in suo Papat. pag. 72. & post alios Jansenij, qui tom. 3. L. 3. c. 13. col. 325. sic scribit: sunt qua- dam homini præcepta secundum statum & vires, in quibus constitutus est, impossibilia: nec adest semper gra- tia, quâ præcepta illa implere sufficimus. Et col. se- quenti: illa impotentia non solum reperitur in exca- catis, obduratis, & infidelibus, sed etiam in Fidelibus, non tantum, quando nolunt præcepta facere, sed etiam quando volunt. & Tom. 2. de statu Naturæ lapsæ. L. 4. c. 18. col. 631. & 632. ita inducta est necessitas peccandi,

peccandi, ut in omni actu, quo legem sibi quis videtur vel servare, vel transgredi, reus alicujus peccati teneatur. Probare conantur ex Sac. Scriptura. 1. Actor. 15. v. 10. S. Petrus legem Moylis vocat jugum, quod nec Patres nostri nec nos portare potuimus; quod si Deus in veteri Testamento sine tyrannide potuit impossibilia præcipere, cur non etiam in novo? S. Paulus ad Rom. 7. v. 16. ait. velle adjacet mihi, perficere autem non invenio. Et ad Galat. 3. v. 10. quicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt; scriptum est enim: maledictus omnis, qui non permanferit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea; qui discursus tacite supponit hanc minorem: sed nemo permanferit in omnibus, quæ scripta sunt in lege, ut patet ex Psalm. 13. v. 1. & tertio ad Rom. v. 10; quod autem nemo facit, censetur fieri non posse. Rursus ad Rom. 8. v. 3. quod impossibile erat legi, in quo infirmabantur per carnem, Deus filium suam misit. Addunt Philippus, Kemnitius, & alij rationem. Christus, inquit, semper est Mediator non solum in prima reconciliatione, sed etiam toto tempore, quò vivimus. Ergo semper egemus mediatione illius. Sed non indigeremus eà semper, si legem aliquando possemus implere. Ergo ex eò, quod semper indigeamus, necessario sequitur, quod semper contra legem agamus; aut certe primà reconciliatione factà Christus otiosus foret. His fere argumentis inducti Lutherus, Calvinus, Melancthon & alij absolute negarunt, legem observari posse, quam propositionem, cum nimis cruda videretur, alij deinde Sectatores mitigantes restrinxerunt ad legem, quæ jubet nos Deum ex toto corde diligere, & non concupiscere; unde sic arguunt: Dilectio, quæ in hac vitâ præcipitur, non potest esse tam perfecta, quàm in altera vita. Ergo legem hujus dilectionis nemo in hac vita implere potest. Item omnis actus legi divinæ oppositus est verè & propriè peccatum. Atqui sensus concupiscentiæ est verè divinæ legi oppositus; ait enim Apostolus ad Rom. 7. v. 23. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. hoc est, decalogo, ad cuius observationem vi suâ urget. Ergo sensus concupiscentiæ est peccatum. Gerhardus ut prædictam Magistri sui Lutheri crudelitatem mitiget, asserit L. 2. P. 3. fol. 793. legem observari posse solum imperfectè, & inchoatè: Amesius tom. 4. fol. 168. audaciam Magistri sui Calvinii in eundem modum moderatur.

VII. Error iste gravissimam Deo infert injuriam, ideòque nullus unquam repertus est hæreticus ante Lutherum, qui eum Scriptis traderet; quippe nemo hominum usque adeò tyrannus fuit, ut legem imponeret ijs, qui absolute servare eam non possent, & pœnam exigeret, si impleta non sit; quam iniquitatem auget, si media ad præceptum implendum necessaria in solius præcipientis sint potestate, & nihilominus dare nolit. Quæ ergo æquitatis specie DEO justissimo & optimo adscribi hæc possunt? Unde rectè D. Hierony. in explanatione Symboli ad Damasum ita scribit: Execramur eorum blasphemiam, qui dicunt, impossibile aliquid homini à DEO præceptum esse, & mandata Dei non à singulis sed ab omnibus in communi posse servari. Pulchrè etiam D. Augustinus Serm. 61. de tempore sic loquitur: nec impossibile aliquid potuit imparare (Deus) qui justus est: nec damnaturus est hominem pro eo, quod non potuit vitare, qui pius est. Quàm autem hæc aliena sunt ab ijs, quæ supra ex Jansenio attulimus?

& tamen homo vesanus ea tanquam Augustinianam doctrinam vendit, cum simillimum imò ipsissimum dogma sit Calvinii, qui in Antidoto Concilij Trident. Sess. 6. c. 12. effutijt, legis mandatum esse æternà gravius; item Prophetas Patriarchas & pios Reges utinque Dei spiritu agerentur, ferendo legis jugo, pares non fuisse. Sed videamus quàm nullius momenti sint allata argumenta ex Scriptura deprompta.

VIII. Respond. ad 1. ex actibus Apostolorum, Legem veterem fuisse importabilem non simpliciter, sed difficillimam observatu propter multitudinem & gravitatem præceptorum. Nam Rabbi Moyles numerat præcepta legis Mosaicæ affirmativa ducenta decem & octo, scilicet tot, quot membra sunt in humano corpore; negativa verò trecenta sexaginta quinque, tot nimirum, quot sunt dies in anno solari, omnia sub mortali, & quidem indispensabiliter obligantia; nihilominus à quibusdam observata fuisse, adeòque non fuisse proprie importabilia, supra ostendimus exemplo Josue, Zachariæ, Elisabeth &c. Ad 2. ex epist. ad Rom. 7. Paulum ibi non locutum de præceptis Dei, sed de concupiscentia carnis, quam cupiebat extinetam, sed non potuit obtinere, quia non erat voluntati subiecta, ne huic reluctaretur. Neque refert, quod illam concupiscentiam involuntariam vocet peccatum; quia improprie sumit nomen peccati pro effectu & causa peccati; nam rebellio concupiscentiæ carnalis ex peccato originali nata est, & instigat ad peccata actualia. Ad 3. ex epist. ad Gal. Minorem illam affingi Apostolo, cum sic subsumi deberet: Atqui nemo suis viribus sine fide & gratia Christi servare potest totam legem. Unde Cornel. à Lapide in comment. illius loci ita magis dialecticè disponit argumentum Apostoli: Quicumque violat aliquam legem, est maledictus à lege. Atqui omnes, qui sub lege sunt, seclusi à fide & gratia Christi, legem violant. Ergo omnes, qui sub lege sunt, sub maledicto sunt. Illi verò, qui sunt in fide & gratia Christi, non sunt sub lege, sed supra legem cogentem terrentem punientem &c. Cæterum David Psalm. 13. (in quo fundatur discursus Apostoli) dicens neminem à Deo in mundo repertum esse legis suæ observatorem, non locutus est de omnibus mundi ætatibus, sed tantum de sui temporis corruptis moribus; alioquin sibi contradiceret Psalm. 138. v. 18. admirans futuram multitudinem Sanctorum: *diminabo eos, inquit, & super arenam maris multiplicabuntur.* Accedit, quod David & Apostolus signa universalis omnis, quicumque &c. non sumserint in rigore logico pro omnibus simpliciter, sed in sensu morali pro plerisque; etenim respectu tantæ multitudinis peccatorum pauculi Sancti quasi non numerabantur. Similis phrasis habetur Gen. 6. v. 12. *Omnis caro corrupta erat viam suam;* & tamen Noë justus prædicatur. Ad 4. ex epist. ad Rom. 8. nihil hic dici aliud, quam quod lex absque Christi gratia & solis naturæ viribus impossibilis, inutilisque sit, id quod concedimus, ut ex recens dictis constat. At rationem adjunctam dicimus, semper nos Christi meditatione indigere. 1. ut gratiam nobis semper subministret, quæ adjuti bona opera præstemus, & peccata gravia fugiamus. 2. quia à peccatis nostris quotidianis, quæ venialia vocamus, & non sunt tam contra, quàm præter legem, ipse nos sub sanguine continuo emundat, ideòque Christus nunquam otiosus est.

IX. Quod.

IX. Quod attinet ad præceptum Dilectionis. Deus tripliciter diligi potest. 1. ita, ut totum cor nostrum, quantum est, in eo solo diligendo totaliter occupetur, & absorbeat, nec quidquam extra illum solum diligit. 2. ut, licet cor nostrum totaliter in ejus dilectione non occupetur, ita tamen homo toto corde tantòque conatu Deum diligit, quanto potest. 3. toto corde Deum diligit, qui super omnia eum diligit, & ita eum rebus omnibus præfert, ut nullius rei amorem DEI amori anteponat, & nullius creaturæ amore Deum offendere vel ab illius amore recedere velit. Primo modo Deum in hac vita diligi non posse fateor cum S. Augustino tom. 7. Lib. de perfect. Justitiæ. sed neque jubemur. Secundo quoque modo nullibi Deum diligere præcipimur, tamen id non repugnet. Tertio itaque modo solummodo tenemur, hoc est, non obligamur Deum diligere amore summo neque intensivè, neque extensivè, neque continuè, sed solum appetitivè, vel comparativè, ut nempe Deum omnibus creatis præferamus, nihilque illius amicitia anteponamus, ut communiter Patres & Doctores docent; atque in hunc sensum scribit Apostolus ad Rom. 8. v. 39. *illis verbis: nulla creatura poterit nos separare à charitate DEI; imò ipsemet Christus Matth. 10. v. 37. sic dicit: qui amat Patrem aut Matrem plus quam me, non est meus dignus.* Atque hoc modo Deum à pluribus fuisse dilectum toto corde ex innumeris Sac. Scripturæ locis constat. Quare ad argumentum negatur suppositum Antecedentis, scilicet præcipi tantam in hac vita dilectionem Dei, quantam Beati in altera vita habent.

X. Circa Concupiscentiam tria adverti oportet. 1. Concupiscentiam quandam esse in actu primo, nihilque aliud, quam pronitatem ad concupiscentiam. 2. aliam esse concupiscentiam in actu secundo, nempe motum quandam ad concupiscendum, qui rationem prævenit. 3. esse consensum in eundem motum, qui à liberâ ratione provenit. Tria hæc, ajunt Sectarij, gravia esse peccata. Primum quidem volunt esse peccatum Originale: Altera duo peccata actualia gravia & lethifera contra præceptum, non concupisces; unde inferunt, cum nemo absque motibus his esse possit in hac vita, neminem servare posse præceptum de non concupiscendo. Verum contra 1. est, Tum quia concupiscentia sic sumpta est pœna peccati originalis. Ergo non est ipsum peccatum; aliàs enim esset causa & effectus sui ipsius, adeoque prior & posterior se ipsâ. Tum quia omne peccatum per baptismum tollitur. Ergo si concupiscentia esset peccatum, per baptismum fuisset sublata. Ergo nullum amplius esset peccatum. Contra 2. est, Quia concupiscentia in actu secundo in pueris & amentibus peccatum non est, uti communiter tenent Doctores cum S. Augustino Lib. 10. confess. c. 30. Atqui nec in potestate sapientium virorum est, non habere illos motus rationem prævenientes. Ergo &c. 3. modo sumpta concupiscentia est quidem peccatum, sed tale, quod homo possit non committere, adeoque præceptum de non concupiscendo implere. Nunc ad argumentum supra §. VI. factum dicimus, omnem quidem actum divinæ legi formaliter oppositum, hoc est, voluntarium & humanum esse peccatum: non autem materialiter solum oppositum, hoc est, qui non sit voluntarius, qualis est in infantibus & amentibus, esse quoque peccatum; nam sine volun-

tate non sit transgressio legis formaliter; quia leges pro ijs solum feruntur, qui rationis & arbitrij usum habent, non pro brutis & amentibus. Unde Apostolus cum ait: *concupiscentiam legi mentis repugnare*, intelligit materialiter, suggerendo scilicet, & obijciendo materiam, quæ, si voluntas non absteineat à consensu, in formale peccatum abeat.

XI. Ex adjecta mitigatione Gerhardi sequitur Lutheranos ex propria sententia non habere fidem vivam seu justificantem; siquidem nemo potest habere fidem vivam, nisi qui mandata Dei servat 1. Joan. 2. v. 4. *qui dicit, se nosse eum (scilicet per fidem) & mandata ejus non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.* Atqui Lutherani & Calvinistæ mandata Dei non servant, upote quæ impossibilia servatu asserunt. Ergo non possunt habere fidem vivam. Si dicant, se mandata Dei servare imperfectè & inchoatè. Ergo etiam fidem imperfectam tantum & inchoatam habere possunt. Atqui talis non est viva, nec justificat, ut ipsimet fatentur. Ergo nunquam habere possunt fidem vivam seu justificantem, & consequenter justus esse non possunt. Jansenio Imprimis adversatur Concilium Tridentinum Sess. 6. supra relatum. Deinde Autoritas Pij V. & Gregorij XIII. à quibus fuit hæc Michaëlis Baij propositio damnata ordine 52. *definitiva hæc Sententia: Deum homini nihil impossibile præcipisse, falsò Augustino tribuitur, cum Palagij sit.* Aferebat nimirum Bajus, Deum homini in Naturâ lapsa præcipere impossibilia, quæ propositio cum ipsissima sit Jansenij, jam antefuit damnata in Bajo. Demum adversatur eidem Sententiæ Innocentij X. qui hanc Propositionem (*aliqua Dei præcepta justis volentibus & conantibus secundum præsentia, quas habent, vires sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiunt*) temerariam, impiam, blasphemam, & hæreticam pronunciat. Et post istum Alexander VII. Papa confirmat prædictam sententiam & damnationem.

XII. Error secundus. Neminem prorsus fuisse hominum, qui ita observaret universam legem, ut etiam non esset reus alicujus peccati, ipsam etiâ Beatam Virginem Mariam non excipiendo, quæ instar aliorum hominum aliquando actualiter peccavit. Itâ nominatim Calvinus in Harmon. circa c. 1. Lucæ. & in Antid. Concilij Trid. Kemnitius in Examine ejusdem Concilij Sess. 5. Brentius in c. 12. Matth. & Centuriatores Magdenburg. in suâ historia centuria 1. cum agunt de vita Deiparæ Virginis Mariæ, alijque hæretici communiter, qui cum alioquin tolliant, nullum dari peccatum veniale, sed omnia esse mortalia, ut infra videbimus, consequens est, ut sentiant non quomodo-cunque Beatam Virginem subinde peccasse, sed etiam mortaliter deliquisse. Probant 1. ex Sac. Scripturâ varijs in locis affirmante, omnes esse peccatores omnesque dicere debere in oratione dominica: *dimitte nobis debita nostra. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus* 1. Joan. 1. v. 8. Probant 2. ex eadem Sac. Script. haud obscure colligi, Beatissimam Virginem in quibusdam minus rectè se gessisse, adeoque peccatum commississe. 1. per curiositatem, aut infidelitatem dubitando Lucæ 1. v. 38. *quomodo fiet istud.* 2. per incuriam amittendo filium Lucæ 2. v. 43. *& non cognoverunt Parentes ejus.* 3. per quandam desperationis speciem ibidem v. 48. *dolentes quarebamus te.* 4. per expostulationem cum divino Filio ibidem.

Fili, quid fecisti nobis sic. 5. per ignorantiam; etenim Filio rationem reddente ibidem v. 49. *ipsi non intellexerunt verbum.* 6. per vanam gloriam, quando dixit Joan. 2. v. 3. *Vinum non habent.* 7. importunitate interrumpendo prædicationem Filij Matth. 12. v. 46. *stabat ipsa, & alij foris querentes te.* Probant 3. Ex Sanctis Patribus itidem affirmantibus, omnes homines esse peccatores & neminem quantumvis justum sine peccato vivere. Probant 4. nominatim ex S. Chryostomo homi. 20. in Joan. & hom. 45. in Matth. item ex S. Augustino Q. 63. Novi Testam. dicente, *Beatam Virginem in morte Domini stupore quodam dubitasse.* Probant 5. ex Ratione. Tum quia non videretur negandum, Beatissimam Virginem habuisse subitò quosdam motus rationem anteverteñtes. Ergo vero simile est, per talem non quidem plenam deliberationem, sed tamen sufficientem illam deliquisse. Tum quia B. Virgini, ut ait Augustinus Lib. de natura & Gracia c. 36. plus gratiæ collatum fuisse ad vincendum omni ex parte peccatum &c. Ergo, infer Kemnitiu, B. Virgo non fuit expers peccati, aliàs opus non haberet gratia, quã vinceret peccatum.

XIII. Errorem hunc; quatenus B. Virgo peccati actualis infimulatur: (ad ceteros enim Sanctos privilegium hoc non extendimus) rejciunt omnes Catholici, idque jurè meritisimo. i. quia Sac. Scriptura in varijs locis indicat, B. Virginem fuisse prorsus puram, atque ab omni macula immunem, utpote inter omnes Benedictam, & Gratiã plenam, totam pulchram &c. 2. quia S. Tridentina Synodus ex communi Ecclesiæ sensu in Beatissima Virgine nullum peccatum agnoscerè vult Sess. 6. can. 23. his verbis: *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse &c. aut contra posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beatâ Virgine tenet Ecclesiâ, anathema sit.* 3. quia Patrum luculenta testimonia ostendunt, Beatissimam Virginem omnis peccati expertem fuisse. Videri illa possunt apud Valentiam Tom. 4. Disp. 2. q. 1. punct. 2. & alios passim. Sufficiat nobis unus & alter. D. Augustinus Lib. de natura & gratia c. 36. tanquam de re indubitata concedit. Inprimis, quod Adversarius (nempe Pelagius) dixerat, necesse esse pietati ipsam Dominam ac Salvatoris nostri Matrem sine peccato confiteri. Deinde ibidem subjungit: *excepta itaque S. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo Questionem &c.* D. Cyprianus in Sermone de Nativitate Christi. *Beata Virgo, inquit, à ceteris plurimum differat, quibus natura communicabat, non culpa.* Et infra de eadem ait: *lex carnis legem mentis non infestabat, rebellio nulla quietem spiritus affligebat.* 4. denique variæ id rationes persuadent, quas affert S. Thomas 3. P. q. 27. a. 4. dicitur tum ex Filij honore; tum ex observantia erga Matrem, quæ planè ostendunt decuisse, omnino Beatissimam Virginem ab omni peccato præservari. Confirmatur ex communi regulâ D. Augustini, quam L. 3. de Lib. Arb. c. 5. sic proponit: *quidquid verâ ratione melius occurrerit, id scias fecisse DEUM.* Atqui verâ ratione decentissimum fuit; Filium DEI Matrem habere purissimam; atque ab omni peccati labe immunem juxta illud Prov. 17. v. 6. *Gloria filiorum Patres eorum.* Ergo &c. Argumenta in oppositum futilia sunt, & refutatione indigna. Nihilominus brevissimè,

XIV. Respond. 1. ad auctoritatem Sac. Scripturæ & Patrum. Ad 1. hæc omnia intelligenda esse juxta legem ordinariam, spectato naturali & ordinario modo, quo posteri Adæ descendunt ex isto. Quod nimine impedit, quin B. Virgo ab ejusmodi lege per singulare Gratiæ privilegium eximi potuerit. Ad 2. in hisce & similibus nulum prorsus apparere peccatum. Nam 1. interrogatio nequaquam fuit incredulitatis, sed pie cujusdam admirationis. 2. amissio Filij non contigit ex Matris negligentia, sed ipsius Filij providentia, ut inciperet exercere, quæ ad gloriam Patris sui spectabant, ut ipsemet in responsò innuebat. 3. Dolor Matris non desperationem, sed debitum Materni animi affectum prodidit. 4. quod B. Virgo tunc non intellexerit dispositionem æterni Patris, quomodo & quando filius esset docturus; & liberaturus mundum, non fuit culpa sed humanæ intelligentiæ imbecillitas comparata divinæ. 5. Verba illa, *Fili, quid fecisti nobis sic,* non sunt increpantis sed sollicitè amantis Matris. 6. insinuatio desicientis vini non fuit vanæ gloria sed benigna compassio. 7. demum Mater stando foris non voluit Filij prædicationem importunè interrumpere, sed tempus opportunum finitè concione querere, loquendi ei de re necessaria. Videatur P. Petrus Canisius L. de B. Virgine, ubi per aliquot Capita de his omnibus fuscè de Innocentia Deipara tractat. Ad 3. SS. Patres perinde ac Scripturam intelligendos esse, nempe secundum legem ordinariam citra singulare divinæ gratiæ privilegium; quale habuisse Virginem affirmat clarissimè ipse August. L. de natura & gratia. c. 36. cit. Ad 4. D. Thomam a. 4. cit. dicere S. Chryostomum in illis suis verbis excessisse; quidquid etiam ille senserit, anteposenda est communis Sententiã aliorum Patrum sententiã unius etiam veteris, ut bene docuit Vincentius Lirinensis in Libello adversus profanas hæresum novitates. Ad Augustinum verò, vel quisquis fuerit Auctor, respondet etiam D. Thomas loc. cit. intelligi eum debere de dubitatione non infidelitatis, sed admirationis & discussionis.

XV. Respond. 2. ad rationes. Ad 1. fomitem, quem Paulus ad Rom. 7. v. 23. membrorum legem appellavit, & ex natura sua ad peccatum materiale inducit, illum in Beatissima Virgine statim ab initio fuisse extinctum, uti communiter docent Patres turpe valdeque indecorum rati; Deiparam aliquid ejusmodi habere, quod ipsam quomodolibet ad peccatum alliceret seu invitaret. Ad 2. ineptam prorsus & hæretico atque execrato homine dignam esse hanc Kemnitiij rationationem; quis enim unquam ita deliravit; ut putaret ad vincendum hostem; necesse esse, prius eidem succubuisse, adeoque prius ab illo victum fuisse? nonne longè præstantior victoriæ modus est hosti imminenti atque instanti sic obstare, ut prorsus arceatur? Hoc igitur præcellenti victoriæ modo per singulare gratiæ privilegium Beatissima Virgo peccatum omni ex parte (ut ait August. loc. cit. vicit; & à se prius repulit, quam accederet &c. Videatur P. Canisius lib. cit.

* * *

✠: IHS. :✠

CONTROVERS. LI.

QUID SIT, ET QUOMODO
fiat Justificatio?

I Actenus de Gratiâ DEI Actuali. Nunc de Habituali, seu Justificante agendum est, quæ gratia Dei non est similis gratiæ hominum; siquidem isti præter extrinsecum favorem & benevolentiam nihil ponunt in homine, nec realiter illum immutant: Deus verò, dum aliquem in gratiam suam recipit, qualitate supernaturali veluti pretiosissimâ veste eum ornatur, aliudque quasi reali ac intrinsecâ immutatione efformat, & justum seu justificatum constituit.

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I Doctrina prima Justificatio fit de facto per Gratiâ Justificatio intrinsecè inhærentem. Ita omnes Catholici, & reperit sæpius istud dogma Concilium Trident. Sess. 6. cap. 7. Exprimunt verò maximè, dum ait: *unica formalis causa* (justificationis nostræ.) *est justitia Dei, non quæ ipse est justus sed quæ nos justos facit, quæ videlicet à Deo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed verè justus sumus & nominamur justitiam in nobis recipientes unusquisq. suam.* Idem haud obscure colligitur ex illo ad Rom. 8. v. 10. *Spiritus verò vivit propter justificationem;* quod clariùs mox v. 11. exprimitur his verbis: *vivificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum ejus in vobis;* inhabitare namque spiritum sanctum (quod ponitur convertibile cum justificatione) non contingit, nec dici potest, nisi ratione alicujus intrinsecè inhererentis in homine, in quo inhabitat. Eodem spectant varia nomina ac prædicata, quibus justificatio impij in Sacris Literis appellatur; nempe *Diffusio in cordibus nostris* ad Rom. 5. v. 5. *Participatio divine Naturæ.* 2. Petri 1. v. 4. *Filiatio Dei* 1. Joan. 5. v. 1. *Renovatio spiritus* ad Ephes. 4. v. 23. *Unctio, Signaculum, Pignus* 2. ad Corinth. 1. v. 21. &c. quæ & alia similia aliquid justificationis intrinsecum sonant. Rationem pro hac doctrina affert D. Thomas. 1. 2. q. 93. a. 2. in corp. istam: *Deo esse gratum & Sanctum eo modo, quo de facto homines justus & Angeli sunt grati, est esse amabilem Deo amore non quocunque, sed verè amicitie, & quidem in ordine ad conferenda dona supernaturalia. Atqui amor amicitie supponit in eo, qui amatur, proportionem & condignitatem, adeoque aliquid bonum ratione cujus, sive ex cujus complacentia sic ametur. Ergo si Deus amet homines, ut Amicos, aliquid videt in illis, ratione cujus sint amabiles Ergo in illis videt pulchritudinem aliquam spiritualem, quæ interius in anima decori sint, atque amabiles; nemo quippe pulchritudine alienâ pulcher est. Ergo est aliquid intrinsecum in homine, ratione cujus reddatur Deo gratus, atque*

amabilis. Non obstat, quod Deus prius nos amet, quàm ulla in nobis videat bona, cum omne nostrum bonum sit à Deo, quia nos amat. Nam verum quidem est hoc de amore benevolentie, seu misericordie, non autem de amore amicitie, quo homines amat ex complacentia bonitatis, quam in illis supponit.

II. Doctrina secunda. Justificatio, ut communiter eam sumunt Theologi, est transitus de statu peccati in statum gratiæ. Sequitur hæc Doctrina ex antecedente. Diximus autem in priore doctrina *Justificatio de facto*: & in posteriore, *ut ea communiter sumitur à Theologis.* Nam seclusâ primorum Parentum, Beatissimæ Virginis Mariæ, Angelorum & Christi Domini justificatione, omnis alia supponit in subjecto peccatum habituale, adeoque fit, subjecto de extremo, hoc est, peccato ad extremum, id est, Dei gratiam transeunte. Gratiâ verò illam, quam diximus justificantem, esse donum permanens præter alios Theologos latè probat. Suarez. Tom. 3. de grat. L. 6. c. 1. breviter suadet hoc. Primò ex Script. asserente 2. ad Timoth. 1. v. 24. & 1. ad Corinth. 3. v. 16. & Joan. 14. v. 24. *Spiritus S. habitare in nobis, & mansionem facere.* At Deus non potest habitare & permanere in hominibus, nisi per donum aliquod habituale & permanens. 2. Ex Patribus, quatenus de gratia Sanctificante loquuntur, ut de pulchritudine quadam eximiâ in anima habitualiter permanente. 3. ex varijs etiam nominibus, quibus in S. Scriptura afficitur; etenim vocatur *semen Dei*, quod in nobis manet. 1. Joan. 3. v. 9. *pignus hereditatis* ad Ephes. 1. v. 14. *Signaculum*, quod signantur credentes *spiritu promissionis ipsam* v. 13. *Filiatio Dei* 1. Joan. 3. v. 14. *Fons aquæ salientis in vitam æternam.* Joan. 4. v. 14. quæ omnia innuunt permanentiam 4. Ex ratione; quia per Baptismum justificantur non solum adulti, sed etiam infantes; hæc autem justificatio cum sit vera & interna, fit per gratiam veram & internam, quæ cum nequeat esse actualis, siquidem infantes non sunt capaces ullius motionis actualis in Deum, in aliquo permanente consistere debet. Sed estne hoc de fide?

III. Doctrina tertia probabilis videtur, post Tridentinum de fide esse, dari in justificatis gratiam & charitatem per modum permanentis, & habitualis. Ita Arriaga Tom. 4. D. 43. n. 3. ex communi fere Recent. Nam Concilium Tridentinum per Spiritum S. inductum ex omnibus illis Scripturæ locis, quæ ad probandam eam gratiæ habitualis existentiam afferri solent, expressè definit, *nobis in justificatione infundi spem, fidem, & charitatem;* agens enim in Sess. 6. c. 6. & can. 11. cit. de justificatis universim; adeoque tam de parvulis, quàm de adultis gratiâ donandis ait: *unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum* (hoc est gratiâ justificante,) *hec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inscribitur, fidem spem & charitatem.* Atqui hæc secundum communem Usum loquendi necessariò significant vel actum vel habitum; in proposito autem, si verba Concilij, ut oportet, proprie & secundum communem usum sumantur, non possunt accipi de actu. Ergo de habitu. Accedit quod Carechismus ejusdem Concilij Tract. de Baptismo declaret, à Tridentina Synodo definitum fuisse, gratiam divinam esse qualitatem in anima inhererentem; quod cerrè de actione aliqua intelligi non potest. *Dixi post Tridentinum.*

imum. Nam ante Concilium istud non videtur de fide fuisse; quia non satis evidenter continetur in Scriptura; & aliunde à nullo unquam Pontifice aut Concilio fuit determinata hæc doctrina tanquam ex fide certa; profectò antiqui Scholastici non reprobant, ut hæreticam Sententiam Magistri, charitatem habitualement non esse aliquid creatum, & inhærens, sed ipsam Personam Spiritus Sancti.

IV. *Doctrina quarta* Gratia Sanctificans est habitus distinctus à virtute Charitatis. Probat 1. ex Tridentino, quod de Gratia & Charitate loquitur, tanquam de distinctis; etenim Sess. 6. can. 3. definit, non posse hominem credere sperare ac diligere, ut ei justificationis gratia conferatur absque Dei auxilio. Et can. 11. damnat eos, qui dicunt hominem justificari solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ & charitate. Similia habent Concilia Vienne sub Clemente V. & Moguntium Anno 1594. celebratum. Ita PP. Dionysius, Augustinus, & alij. Probat 2. ex Sac. Script. ad Rom. 5. v. 5. Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis? Ergo si diffunditur per Spiritum Sanctum, sequitur; prius dari Spiritum Sanctum, quàm charitas inde profluat; Spiritus autem Sanctus non datur nisi cum aliquo dono creato. Ergo datur aliquod donum Spiritus Sancti prius charitatè, ex quo illa profluat, quod non est aliud, quàm gratia sanctificans. Probat 3. ratione. Tum quia habitus Charitatis solum habet ex se constituere potentem diligere Deum; quod formaliter non est, hominem esse Sanctum, Filium DEI, Hæredem &c. Tum quia in ordine supernaturali vel datur Natura, vel non datur. Si datur, illa distinguitur à virtute Fidei & Spei. Ergo etiam distinguitur à virtute Charitatis; probatur consequentia, quia eodem modo se habet Natura ad omnes virtutes, & virtutes in ordine ad Naturam. Sed illæ duæ Fides & Spes se habent, ut potentia superadditæ Naturæ, aut; ut virtutes supponentes Naturam sui ordinis perficiendam. Ergo etiam Charitas ad naturam supernaturalem se habet eodem modo, scilicet ut potentia superaddita, & ut virtus perficiens Naturam, hoc est, primum esse sive radicale principium sui ordinis. Si autem non datur Natura ordinis supernaturalis, tunc omnes tres virtutes erunt gratia Sanctificans indivisibiliter; siquidem singulæ sunt in suo genere primû principium operativum operationum divinarum. Tum quia Gratia sanctificans verè & propriè dici potest charitas. Nam donum profectum ab amico in amicum ex amicitia vocatur charitas. Ergo à fortiori vocatur charitas ipsum donum amicitia sive amicitia, ut donum est, quo nobis infuso Deus nos evehit in statum Amicorum ipsius.

V. Huic doctrinae D. Thomæ 1. 2. q. 110. a. 3. & 4. & plurium Theologorum opponunt se Card. Bellarminus & nonnulli triplici maxime hoc argumento moti. est ex Scriptura, quæ asserit nos per charitatem justificari & filios DEI constitui 1. Joan. 3. v. 1. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij DEI nominemur & simus. Ubi vocatur charitas forma illa, per quam filij DEI nominamur & sumus. Respond. inde solum probari, gratiam Sanctificantem esse verè & propriè charitatem à Deo nobis donatam, juxta id quod in fine prioris §. insinuavimus: sed minime probari, gratiam Sanctificantem identificari cum habitu charitatis, qui est tertia virtus inter Theologi-

cas, licet dignitate prima. 2. ex eadem Scriptura, quæ effectus formales gratiæ tribuit charitati, ut remittere peccata Luc. 7. v. 7. facere DEO gratum Joan. 14. v. 23. &c. Respond. incertum esse, an prædicta & similia loca intelligantur de gratia habituali; de quâ sola agimus; possunt enim commode intelligi de actuali, eique tribui non ut formæ, sed ut perfectissimæ dispositioni. Sed est, quod de habituali intelligantur, dicimus cum Maldero aliisque DD. prædicta charitati non competere præcisè ratione sui, sed quatenus cum ipsa gratia habitualis inseparabiliter est connexa Atque hanc distinctionem damus etiam ad multa testimonia ex PP. afferri solita. 3. est ex ratione; quia si gratia & charitas possunt separari, dabitur Justus non diligens: aut Diligens injustus contra Sacram Scripturam. Respond. ex Dei decreto Gratiam & Charitatem nunquam esse separandas; si tamen ex hypothesi alterutra in homine sola relinqueretur, incertum quid futurum esset; in neutro casu haberetur simpliciter inimicus Dei, si peccatum mortale abesset. Oviedo 1. 2. Tr. 8. Cont. 1. p. 8. n. 91. absolute concedit, hominem gratiâ Sanctificante destitutum; ornatum verò charitatè propriè non habere jus hereditatis ad regnum Cælorum; quia non participaret divinam naturam, neque esset filius DEI adoptivus: item habitum charitatis in eo casu processurum ex amore Dei erga hominem, non autem ex amore amicitia; quia homo non esset dignus tali amore, nec particeps naturæ divinæ.

VI. *Doctrina quinta.* Gratia Sanctificans est participatio Naturæ divinæ, vi cuius homo fit Amicus Dei, Filius adoptivus, hæres regni cælestis &c. Ita constans Catholicorum Doctorum sensus, & loquendi modus Sac. Scripturæ & Patrum. Nam 2. Petri 1. v. 4. hæc habentur: maxima & pretiosa promissa nobis donavit, ut per hæc efficiamini divina consortes Naturæ. S. Augustinus L. 1. contra epist. Pelag. c. 2. Non vivunt, inquit, homines bene, nisi prius effecti sui filij DEI; quia nimirum filiatione Dei, quâ Naturam divinam participant, est radix bene vivendi. S. Leo Serm. 1. de Nativ. Dom. ait: Agnosce ô Christiane! dignitatem tuam, & divinæ consorti salutis Naturæ noli in veterem degeneri conversatione redire. Supponitur hic ex 1. Part. D. Thomæ, Naturam divinam formaliter spectatam consistere in Intellectione non quacunque, sed Essentiæ divinæ, quæ Intellectio prædicatum Dei proprium per gratiam in ratione principij participatur; atque hinc illa semen gloriæ, seu Visio Dei appellatur. Quemadmodum igitur in Deo Intellectio seu Visio Essentiæ divinæ est Natura & quasi radix perfectionum divinarum, ita in Justis Angelis & Hominibus Gratia est veluti natura in ordine supernaturalium donorum, & radix omnium habituum supernaturalium, atque his medianibus actuum inde elictorum. Ut autem ea, quæ diximus, prædicata Gratia Habitualis veluti Naturæ divinæ participatæ distinctè explicemus. In primis habet illa ex se vim sanctificandi, & constituendi hominem Amicum Dei, ut tenet communis Scholasticorum, teste Ariaga Tom. 4. disp. 44. n. 2. Nam Tridentinum & Patres; quando agunt de infusione gratiæ, semper supponunt, illam esse, quæ reddit hominem DEO gratum, quæ facit Sanctum &c. Ex quo sic argumentari possumus: Nulla forma potest à DEO assumi ad dandum effectum formaliter, quem ipsa formaliter non tribuit; cum esse-

ctus formalis nihil sit aliud, quàm forma & subiectum simul unita. Atqui Gratia justificans est unica causa formalis nostræ justificationis. Ergo ad hunc effectum tribuendum assumi nequit à Deo, nisi illi connaturaliter tribuat. Deinde eadem qualitas Gratiæ sanctificantis constituit creaturam rationalem formaliter & realiter Filium Dei Adoptivum, ut habet icidendi communis doctrina Scholasticorum, & Patrum desumpta ex S. Scriptura, quæ aperte tradit; nos constitui filios DEI. Joân. 1. v. 12. *dedit ejus potestatem filios DEI fieri his, qui credunt in nomine ejus.* Tum nominatim constituit nos filios DEI Adoptivos ad Rom. 8. v. 15. *non accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis in quo clamamus Abba (Pater)* Per gratiam autem non per charitatem hoc nobis tribuit, facile ostenditur. Nam per illud homo constituitur filius Dei, per quod participat Naturam divinam, quâ natura est; hæc quippe participatio proprie filios gignit. Atqui hoc fit per gratiam, non per charitatem; cum charitas sit principium divini Amoris, non Essentiæ quâ talis. Demum illa ipsa qualitas Gratiæ justificantis confert Jus ad hæreditatem. Atqui per gratiam constituitur filius DEI adoptivus. Ergo & hæres Dei, quò modo argumentatur S. Paulus ad Gal. 4. v. 7. ubi ait: *quod si filius, & hæres per Deum.* Prædicta autem Gratia Sanctificans non est Natura ut quod, utpote accidens substantiæ, sed ut quo; hoc est, est elevatio Naturæ rationalis secundum quod formaliter Natura est cum proportione ad finem beatificum supernaturalem, de quo plura Scholastici.

VII. *Doctrina sexta.* Effectus formalis intrinsecus, quem gratia Sanctificans, ut paulò ante diximus, confert; Amicitia scilicet, Sanctitas, Adoptio &c. in eo genere non potest præstari sine formâ intrinsecâ; adeoque impossibile est, per justitiam alterius physicè nobis extrinsecam & moraliter imputatam nos reddi verè Justos, Hæredes, Amicos &c. Ita communissima Catholicorum sententia. Probatum i. Concilium Trident. Sess. 6. c. 7. verbis illis supra allatis: *unica & formalis causa justificationis nostræ est justitia DEI, non quâ ille est justus; sed quâ justos præstat &c.* non tantum affirmat modum justificandi per formam intrinsecè inhærentem, sed simul negat, alium justificandi modum esse possibilem per formam scilicet subiecto extrinsecam & moraliter imputatam. Ergo dari ista non potest. Probatum Antecedens, Concilium reprobat id omne, quod hæretici intendunt; hæc enim unica est mens Concilij, hæreticæ pravitati se opponere; omnesque ipsi vias præcludere. Sed hæretici non tantum negarunt modum justificandi per formam intrinsecè inhærentem, sed affirmarunt, possibilem esse alium modum justificandi per formam merè extrinsecam moraliter imputatam à priore prorsus diversum: & ex hac possibilitate adstruxerunt, illum de facto dari atque etiamnum adstrunt, ut passim in eorum libris, videre est. Ergo Concilium non tantum affirmat modum præsentem justificandi intrinsecum, sed simul etiam negat possibilitatem omnis alterius modi justificandi per formam nobis extrinsecam & moraliter imputatam. Confirmatur hæc probatio. Si Concilium non negat possibilitatem justificationis per formam extrinsecam moraliter imputatam, videretur nec satis firmare suam

sententiam & definitionem contra eos S. Scripturæ locos, quos hæretici in magna copia pro se allegant: nec sufficienter in eodem dogmate tranquillare Catholicos adversus occurrentes dubitandi rationes, nec hæreticos efficaciter refutare. Non si possibilis est alius justificationis modus, poterit sanè molesta tentatio pulsare animum, ne fortè prædicta testimonia de possibili illo justificandi modo intelligantur, eique innotantur, cum præsertim quoad litteram & nudum verborum corticem sensum illum præferant, idque Adversarij obstinatissimè defendant.

VIII. Probatum 2. ex eo, quod per justificationem dicatur non solum Deus Amicus homini; sed etiam homo Amicus DEO. Atqui homo non potest esse Amicus Deo amicitia supernaturali, nisi fiat objectum amoris divini & supernaturalis per donum aliquod supernaturale intrinsecum. Ergo &c. Major est Tridentini Sess. 6. c. 7. citi ubi docet hominem per justificationem fieri ex inimico amicum juxta illud Joân. 15. v. 15. *non dicam vos servos sed amicos.* Minor probatur. Esse amicum alteri, est esse objectum mutui amoris amicitia erga se; etenim amicus dicitur; qui dignus est, ut ametur amore amicitia ab altero; Deus autem amat res juxta earum amabilitatem non plus, nec alio amore, quàm quo res ipsa amari postulat. Ergo ut amet creaturam amore amicitia supernaturali, debet in ea esse bonitas digna tali amore, quæ alia esse non potest, quàm participatio Naturæ divinæ, quæ sit per gratiam habitualem. Coincidit hæc ratio cum illa, quam supra §. i. attulimus ex S. Thoma, eamque Theologi omnes admittunt. Non dici potest, rectè eos facere pro pulchritudine physica asserenda: at pro morali solum sufficere justitiam extrinsecam imputatam. Non, inquam, dici hoc potest; quippe probari prius debet; dari hanc justitiam extrinsecam, quàm pro responsione tanquam recepta doctrina obrudatur.

IX. Probatum 3. Ex peculiari denominatione Sancti, Justi, in Sacris litteris usurpari solita, quæ non potest desumi ab extrinsecâ justitia & Sanctitate alterius; Nam denominationes istæ non desumuntur ab actu alterius circa ipsum tanquam objectum, uti sunt denominationes amati, dilecti, accepti, sed ab intrinsecâ forma subiecti, quod Sanctum & justum denominatur; hoc enim fundamentum non est præcedens, sed concomitans & simultaneum dilectionis & acceptationis DEI, qui ideo hominem diligit dilectione supernaturali amicitia, & ad gloriam acceptat, quia Sanctus & justus est. Quemadmodum igitur Deus facere non potest sapientem absque sapientia, album sine albedine intrinsecâ. Ita nequit facere Justum & Amicum suum, seu dignum amore amicitia absque intrinsecâ forma justitiæ, seu gratia habituali, ut argumentantur Card. Lugo, Arriaga & cæteri Theologi, qui quæstionem hanc (Num scilicet aliquis per extrinsecam alterius justitiam ipsi moraliter imputatam justificari vereque justus dici possit) in operibus suis proposuerunt, & omnibus ritè expensis universim concluderunt, fieri id non posse in quacunque specie etiam diversâ ab ea quâ nunc nos justus sumus.

X. Dixi in doctrina priore *in eo genere*; ut insinuarem, alio modo Deum homini tantâ fere bona facere posse, quanta confert amico; Seclusâ

ipsâ gratiâ. v. g. visionem beatificam, revelationem secretorum &c. Utrum etiam Deus per meritam extrinsecam condonationem peccata homini remittere, aut hunc etiam justificare possit absque habitibus infusis v. g. per contritionem, vel Amorem Dei actualem super omnia &c? Scholasticis relinquo, cum inde extrinseca imputatio non juvetur. Videatur P. Esparza. q. 8. & 12. de Justif. ubi de utroque egregie disserit, magnoque judicio utriusque partis argumenta discutit.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XI. **E**rror primus. Justitia Formalis intrinseca in justificato nulla datur. Ita sentiunt & errant communiter Sectarij hujus temporis cum Calvino, qui in antidoto Concilij Trident. Sess. 6. c. 8. falsum esse contendit, *ullam justitiam partem in qualitate sitam esse, vel in habitu, qui in nobis resideat.* Probant ex Lutheranis Gerhardus L. 2. P. 3. suæ Confess. fol. 65. & ex Calvinistis Amelius Tom. 4. fol. 132. Tum quia justitia, quâ justificatur homo coram DEO, debet esse perfecta. Sed justitia nobis inhærens non est perfecta. Ergo &c. Tum quia reconciliatio nostra cum Deo præcedit infusam virtutem, & quamlibet qualitatem supernaturalem. Tum quia injuria fit meritis Christi, si per inhærentem justitiam justificari dicamur; Tum quia per justitiâ nobis inhærentem occasio datur superbiæ gloriationis. Reliqua hæc importune adjuncta, in sequentibus refellentur & solventur.

XII. Hunc errorem satis refutatam priori parte sic insuper oppugnamus. Sicuti Christus fuit justus, ita & nos sumus justus, sed Christus fuit justus per intrinsecam & sibi inhærentem justitiam. Ergo & nos taliter justus sumus. Minorem nec hæretici negare audent; dicitur enim Christus unctus Danielis 9. v. 24. *& unctus Sanctus Sanctorum.* & 1. Joan. 12. *plenus gratia & veritate.* Major itidem probatur ex S. Scriptura 1. Joan. 3. v. 3. *qui habet spem in eo sanctificat se, sicut & ipse Sanctus est.* & v. 7. *qui fecit justitiam justus est, sicut & ille justus est.* 1. ad Corinth. 15. v. 48. *qualis cælestis, talis & cælestes.* Argumenta in oppositum nihil probant.

XIII. Responderetur igitur ad 1. probationem, Negando Minorem: quomodo enim imperfecta est justitia habitualis à nobis asserita, quæ sanctificat animam, ut sine ruga aut macula ulla peccatorum sancta & immaculata reperiat, ac tenebræ nullæ remaneant, quæ lucem eripiant, seu tollant gratiam, & amicitiam cum Deo solvant? quæ eandem efficit filiam DEI adoptivam? quæ illi ipsi animæ jus ad regnum cælorum tribuit? an non pretiosum hoc donum, quod ut affirmat D. Petrus: *divina reddimur consortes Natura.* 1. Petri 1. v. 4. Ad 2. distinguendo præcedit dispotivè, conceditur: formaliter, negatur; omnia enim illa, quæ præcedunt in peccatore infusionem gratiæ, solum disponunt ad reconciliationem, quæ fit, dum infunditur gratia delens simul peccatum, reconcilians hominem DEO, atque eundem Amicum, Filium adoptivum, & Hæ-

redem constituens. Ad 3. dicimus, plurimum tribui meritis Christi, cum ab istorum virtute & efficacia confiteamur nostram dependere justitiam, nec in ullo nos Christo æquiparemus. Ad 4. denique putamus inhærentem nobis justitiam dare potius occasionem humiliandi nos, quam superbiendi; cum enim sciamus, illam nos à Deo accepisse, quid gloriemur, quasi non acceperimus?

XIV. **E**rror secundus ex priore enascens est, hominem dici fierique justum per extrinsecam duntaxat justitiam Christi ipsi imputatam. Ita Calvinus L. 3. Instit. c. 11. §. 22. cum ait: *Vides, non in nobis, sed in Christo esse justitiam nostram.* Et universim hodie Sectarij tam Calvinistæ quam Lutherani apud Amel. Tom. 4. L. 6. totò, & Gerhard. L. 2. Augustanæ confess. P. 3. à fol. 68r. Probant 1. ex Scriptura. 1. ad Corinth. 1. v. 30. *Christus factus est nobis justitia & Sanctificatio.* Ex quo sic arguunt Justitia est forma justificans. Christus est nostra justitia. Ergo &c. ad Roman. 5. v. 19. *Sicut enim per unius hominis in obedientiam peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam justus constituitur multi.* Unde sic argumentantur: Id, per quod aliquis justus constituitur, est ejus forma justificans. Sed obedientia Christi est id, per quod homines constituntur justus. Ergo &c. ad Ephes. 4. v. 24. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis;* Hinc sic concludunt: Indumentum est quid extrinsecum, sed justitia est indumentum. Ergo est quid extrinsecum. Plura Sac. Scripturæ Testimonia cumulant citati, sed quæ vel ad hæc revocantur, vel aliunde facile solventur.

XVI. Probant 2. ex Patribus. S. Leo Papa epist. 70. ad Juvenalem scribit, *ideo Christum omnium recepisse causam, ut sicut per unius reatum omnes facti suspenserent peccatores, ita per unius innocentiam omnes fierent innocentes.* Similia habent alij PP. apud citatos nominatim D. Bernard. de quo etiam scribit Guilielmus in vita ejusdem. c. 13. quod in gravi morbo aliquando extasin patiens sibi visus fuerit ante tribunal Christi stare, & gravissimas infernalis hostis audire accusationes, atque has diluisset cum inimici confusione istis verbis: *Fateor non sum dignus ego, nec proprijs possim meritis regnum cælorum obtinere; ceterum duplici jure illud obtinens Dominus meus JESUS Christus, hereditate scilicet Patris, & merito Passionis; altero ipse est contentus: alterum mihi donat, ex cujus dono illud mihi jure vindicare non confundar.* Addunt his Amelius & Gerhardus loc. cit. fol. 69r. Cardin. Candarenus, Card. Seripandum, Albertum Bigghium, Authores Antididagmatis Colonienf. & alios in Tractatibus suis haud obscure justificationi per extrinsecam formam imputatam faventes.

XVI. Probant 3. Ratione. Tum quia si Adæ peccatum, quamvis postea extrinsecum, potest tamen illos reddere moraliter intrinsecè peccatores, inimicos Dei, privatos reëctudine debita, tunc etiam Justitia & Sanctitas Christi poterit nos facere justos & Sanctos; cum Christus non minus sit Caput quoddam morale generis humani, quam Adamus fuerit. Sed verum est Antecedens. Ergo & Consequens. Confirmant rationem hanc ex illo Rom. 5. supra §. XIV. cit. Tum quia adoptio humana in Filium fit per moralem favorem extrinsecum. Cur ergo divina sic fieri non possit? Tum quia Monachorum merita, inquit Gerhardus, possunt alijs interventu pecunia-

rum applicari. Ergo possunt etiam & multo magis merita & iustitia Christi per fidem nobis applicari, alludit ineptus homo ad consuetudinem quam, quæ Religiosi Ordines subinde meritorum suorum sæculares faciunt participes in signum gratitudinis beneficiorum, quæ ab ipsis acceperunt. Tum quia potest alicui innocenti imputari iniustitia alterius. Ergo etiam nocenti potest imputari alterius iustitia. Hoc argumentum à prioribus non diversum sumitur ex illis verbis Apostoli 2. ad Corinth. 5. v. 21, ubi dicitur, *Christus factus est pro nobis peccatum, ut nos fieremus iustitia per ipsum* &c. & eo utitur Jacobus Hailbrunner in Papatu Aethiopy pag. 40.

XVII. Hanc monstruosam Justificationem in priore parte jam rejectam adhuc tribus argumentis oppugno. 1. est. Si nostra iustitia nihil est aliud, quam extrinseca Christi iustitia nobis imputata, tunc non possumus crescere in iustitia & sanctitate, quia iustitia Christi consummata non non accipit incrementum. Consequens repugnat Sacris Litteris hortantibus, ut indies magis ac magis crescamus in iustitia & sanctitate Apoc. 22. v. 11. *qui iustus est iustificetur adhuc, & qui sanctus est sanctificetur adhuc.* 2. Si iustitia hominum nihil esset aliud quam Christi iustitia ijs imputata, tum omnes Sancti forent pares; quippe eadem iustitia præditi: nec ullus alio esset Sanctior, quod repugnat Sac. Scripturæ attestanti, alios alios in regno caelorum fore majores: Matth. 18. v. 4. *Quicumque humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic est major in regno caelorum.* 3. Si verè nobis imputaretur Christi iustitia, ut per eam iusti haberemur ac censeremur; perinde ac si propria nostra esset intrinseca & formalis, profecto non minus iusti haberi censerique deberemus quam Christus, ac proinde deberemus dici Redemptores & Salvatores mundi &c. quod est absurdissimum. Scire etiam ex Adversariis auctores, an Christus peccata nostra in se recipiendo odio fuerit æterno Patri, vel non? Si primum; blasphemant; quomodo enim oderit illum, de quo ait: *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Matth. 3. v. 17. Si secundum, si Christus non fuerit odio Deo, quantumvis nostra in se receperit peccata & delicta; quomodo nos Deo placere, & iusti coram eo esse possumus, si iustitia solum aliena nobis imputata coram illo compareamus? Probationibus non plus inest virium, quam sanguinis limacibus.

XVIII. Respond. 1. ad Sac. Scripturam. 2. ad Corinth. Christum dici nostram iustitiam non formaliter, sed causaliter; quia nobis promeruit gratiam justificantem, sicuti 1. Corinth. 1. v. 3. dicitur, *nostra sapientia*; neque tamen formaliter per ejus sapientiam cognoscimus, sed per aliam ejus merito nobis infusam. Itaque in forma distinguitur Major: Iustitia formalis est forma justificans conceditur: causalis iustitia est forma justificans negatur. Atqui Christus non est nostra iustitia formalis; sed causalis; est enim consuetum habitus, nomen effectus tribuere causæ, sicuti Apost. ad Philipp. 4. v. 11. fideles appellat gaudium suum, id est, causam gaudij sui. Simili modo Rom. 5. dicitur per obedientiam Christi constituti iusti non formaliter, sed causaliter sive effective; sicuti per cibum dicitur conservari vita, quia sanguis ex cibo genitus conservat illam. Adhæc retorqueo hunc utrumque Scripturæ locum: Sicut peccatum Adami non imputatur nobis solum extrin-

secè, sed revera & intrinsecè inest unicuique nostrum: ita quoque gratia & donum Christi non tantum imputatur nobis sed intrinsecè inhæret; alioquin efficacius esset peccatum Adami, quam gratia Christi, utpote quæ non tolleretur, sed tantum absconderetur peccatum, cum tamen peccatum verè tollat, & eliminat iustitiam. Ephes. 4. nihil prorsus nobis repugnare perhibetur, cum contra naturale sit discrimen inter animam & corpus, atque utriusque indumentum. Itaque distinguitur Major. Indumentum corporale est extrinsecum concedo: spirituale nego. Omnes enim virtutes (quæ utique sunt qualitates intrinsecæ) comparantur vestibus ad Coloss. 3. v. 12. *Induite viscera misericordiae, humilitatem, benignitatem, modestiam, patientiam.* Deus ipse dicitur *indutus fortitudine.* Psal. 32. v. 1. utique non extrinsecæ. Et universim notandum, in S. Litteris verba metaphora non requirere omnimodam similitudinem; alioquin sicut vestis usu atteritur, ita gratia paulatim desceret; Sufficit ergo similitudo in eo, sicut Vestis ornat Corpus, ita gratia in eo,

XIX. Respondetur 2. ad auctoritatem Patrum; hos adeo aperte stare pro sententia nostrâ, ut nec ipsi Sectarij hoc universim inficiari ausint. Calvinus L. 3. Instir. c. 11. §. 15. postquam D. Augustinum de justificatione loquentem præ Lombardo Magistro Sentent. proballet, dein subjicit, *ac ne Augustini quidem sententia vel saltem loquendi ratio per omnia sequenda est; tamen enim egregie hominem omni iustitie laude spoliatur, ac totam Dei gratiam adscribat, gratiam tamen ad sanctificationem refert, quæ in vite novitate per Spiritum Sanctum regeneremur.* Paræus L. 2. de Justif. Fateor, inquit, in Patrum libris, quos habemus, nonnulla legi, quæ sententia Bellarminiana favere videntur. Similia habent Centuriatores Cent. 3. c. 4. nec mirum, Hæreticos nihil invenire in Patribus extrinsecæ suæ imputationi favens, cum illi Sacræ Scripturæ inherentes constanter ex hac tenuerint, regenerari ac renovari nos per effusum in nobis Spiritum Sanctum atque hoc sine intrinseca illius receptione atque immutatione fieri non posse. Itaque nominatim S. Leo aliud non voluit, quam causaliter per Christum nos factos fuisse innocentes; utpote illius sanguine mundatos & gratia renovatos, sicut recens diximus, per eundem nos à Scriptura dici iustos, causaliter scilicet sive effective. D. Bernardus rectissime & piissime sensit, non suis se meritis salvari posse, sed gratia DEI, qui secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus s. quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius heredes simus secundum spem vite æternæ ad Tit. 3. v. 6. &c. Sed quid inde contra nos? Est hæc bona consequentia: Christus donavit mihi sua merita. Ergo suam iustitiam mihi ita imputavit, ut per istam quantumvis mihi non inhærentem verè tamen & intrinsecè iustus efficerer? Minimè profecto; allata enim verba Sac. Scripturæ plus innuunt, internam scilicet immutationem ac revocationem per gratiam Spiritus Sancti, quæ animæ inhæreat eam mander, sanctificet, amicitiam DEI efficiat ac jus eidem veluti coheredi Christi ad regnum Cælorum tribuat. Quæ adjecta sunt de Cardinali Cantareno, Bigghio, Seriphando, & alijs, talia non sunt, quæ ullum Catholicorum moveant. Esto enim isti ante Tridentinum non nihil errori huic adhæserint, non tamen inde universalis Concilij definitio.

definitioni derogatur; cum utique ipsi quôque huic acquieverint, suumque errorem depoluerint. Similiter Communi Catholicorum dogmati nihil decedit ex eo, quod post Tridentinum aliqui Parisienses Theologi Tractatum Cantareni de Justificat. iterum ediderint erroribus non satis correctis. Videatur Card. Pallavicinus in Histor. Concilij Trid. L. 3. c. 4. 6. 9. & 11.

XX. Respond. 3. ad rationem, quam quadruplicem attulerunt, quarum singulas ordine dissolvemus. Ad 1. Negando paritatem. Quia non perinde, ut per conjunctionem & subordinationem voluntatum aliena voluntas censetur nostra, ita potest aliena pulchritudo seu gratia nos facere pulchros aut amabiles; siquidem peccatum est actus moralis: & effectus formalis peccantis, quem ille nobis dat, est itidem moralis; at vero pulchritudo seu gratia non est ens morale; nec effectus illius moralis est, sed physicus. Quare sicuti per nullam transfusionem fieri potest, ut Petrus sit albus per albedinem Pauli, ita nec pulcher aut gratus per pulchritudinem vel gratiam alterius. Hæc responsio procedit non tantum de facto, sed etiam de possibili, ut facile patet; quidquid autem de hoc sit, certum est apud omnes Catholicos, justificationem nostram de presenti non fieri per extrinsecam justitiam Christi nobis imputatam. Quia nostram voluntatem transfusam fuisse in voluntatem Adami in ordine ad peccatum, constat ex Concilijs & Scriptura. Ergo etiam si possibilis esset hic modus justificandi nos per sanctitatem & justitiam Christi, de facto tamen sic contigisse ex Sac. Scriptura non constat, nec ex Concilijs aut aliunde ullum est fundamentum hoc dicendi; ob quam eandem causam omnes negant, nobis ita profuisse penitentiam Adæ, sicut nocuit illius peccatum. Ad confirmationem ex illo ad Rom. 5. respondimus jam supra S. XVIII. Videatur Oviedo 1. 2. Tr. 9. pun. 4. n. 34.

XXI. Ad 2. Negando Consequentiam. Discrimen inter Adoptionem divinam & humanam eruditè Card. Sfortia Pallavicinus L. 2. Assert. Theolog. c. 8. n. 124. sic ostendit; eatenus Adoptio humana potest fieri per extrinsecum favorem, quatenus homo optat alium sibi esse filium, & non potest illi imprimere veram secum cognationem, idcirco Lex fingit, esse filium, qui revera filius non est, hoc est, decernit illi effectus filiationis in ordine ad bona extrinseca, quæ sunt in potestate Legislatoris. Atsi Pater illi posset dare veram cognationem intrinsecam, ratione cujus ille haberet jus naturale ad talia bona, & eam non daret, nisi diceretur is adoptari in filium, sed tantum in hæredem extraneum. Sed Deus potest dare aliquam qualitatem, ratione cujus creatura habeat specialem similitudinem cum ipso DEO, & jus ad divitias divini patrimonij. Ergo quoties adoptat in filium, necesse est, ut tribuat ejusmodi qualitatem; agens enim Omnipotens & Sapientissimus non adoptat, nisi quod faciat.

XXII. Ad 3. distinguendo. Possunt Monachorum merita applicari alijs efficienter, ut istis profint, conceditur: formaliter, negatur. Nam aliud non intenditur in ista meritorum communicatione, quam ut Deus intuitu famulorum suorum & operum bonorum, quæ ipsi Deo juxta statum suum pie devotè exhibent, velit benevolè & singulariter recordari eorum, & sua ipsi cælestia dona communicare, pro quibus ipsi preces cæte-

raque sua pia opera peculiariter offerunt, & sic eisdem istorum participes esse cupiunt. De re quo hæretica est calumnia Gerhardi, quasi Monachi per prædictam communicationem sua apud Deum merita pro pecunia illis venderent, & impiam meraturam exercerent.

XXIII. Ad 4. rationem. Responsio 1. est. Ex hoc argumento & textu Sac. Scripturæ præve intellecto Matthias Flaccus Illyricus in Confess. Antwerp. c. 6. & in Apolog. ejusdem eò demencie & impietatis venit, ut admitteret Christum verisimè dici peccatorem per potentissimam Patris imputationem; & voluntariam in se peccatorum receptionem; quæ blasphemia & sacrilega impudentia toti Scripturæ repugnat. In idem deliramentum insana hæc imputatio conjecit Lutherum, ut in c. 3. ad Galat. (sicuti videre est Tom. 5. Witt. Anno 1554. fol. 348. col. 2.) impudenter æque ac impiè sic scribere auderet: Omnes Propheta viderunt hoc in Spiritu, quod Christus futurus esset omnium maximus latro, homicida, adulter, fur, sacrilegus, blasphemus &c. quod nullus unquam major peccator in mundo fuerit &c. Dicunt Lutherani, hæc non propriè & absque distinctione prolata fuisse. Sit hoc. Attamen perinde male sonant, ac verba Illyrici, quæ ipsimet Lutherani improbant. Responsio 2. Sicuti Christus non est factus peccatum seu peccator sic imputativè, quasi ipse illa fecerit, & iniquus haberi poterit, sed solum imputantur illi quoad debitum satisfaciendi, quod ipse ex nutu Patris spontè in se suscipit; unde ille non peccator, sed justus dici meretur: ita & nobis imputatur Justitia Christi quoad satisfactionem tantum, quam pro nobis præstitit, adeoque effectivè, ut sæpe jam diximus. Quocirca formaliter mundi & immaculati haberi non possumus, nisi fordibus peccatorum depulsis interiosam reddatur anima per donum illud pretiosum, quò divinæ simus participes Naturæ. Responsio 3. Ad locum Script. ex 2. ad Corinth. 15. Christum vocari peccatum duplici sensu. 1. quia participavit carnem similiterni carni peccati juxta illud ad Rom. 8. v. 3. DEUS mittens filium suum in similitudinem carnis peccati. 2. quia factus est hostia pro peccato, quò modo accipitur nomen peccati ad Rom. 8. v. 3. DEUS mittens filium suum in similitudinem carnis peccati. Quædam autem peccata populi mei comedent; loquitur Propheta de Sacerdotibus qui comedebant hostias pro peccatis populi oblatas. Quemadmodum ergo Christus factus est pro nobis peccatum, hoc est, assumpsit similitudinem carnis peccati, ut fieret victima pro peccato, simili modo nos efficiamur justitia DEI, quia scilicet accipimus justitiam inhærentem, quæ est similitudo quædam & effectus justitiæ Dei, tollens à nobis peccatum animamque sanctificans, ut exponit S. August. L. de Spirit. & Litt. c. 18. dicimur autem justitia potius, quam justus, ut servetur antithesis. Responsio 4. Transseat Antecedens, distinguitur Consequens. Potest justitia innocentis imputari nocenti, causaliter & effectivè; conceditur: formaliter ita ut peccator intrinsecè fiat, dicaturque justus ab extrinsecè alterius justitia, negatur Consequentia. Ratio patet ex dictis: quod esse justum & pulchrum sit effectus physicus merèque intrinsecus, qui per nihil extrinsecum poni valeat. Dixi, transseat Antecedens. Nam ex dictis quòque constat, per conjunctionem & subordinationem voluntatum, fieri quidem posse, ut ab aliena physica voluntate reddamur moraliter mali vel boni, hoc est, legis observan-


tes, vel.

res, vel inimici; minimè verò iusti, amici DEI, hæredes regni cœlestis; hæc quippe posterior denominatione longè alia est, aliudquè importat, nempe intrinsecam animæ pulchritudinem & ornatum, qui nullâ voluntatum transfusione per extrinsecam pulchritudinem & ornatum ac decorum alterius obtineri potest, sicut nullus locus tenebricosus fieri potest lucidus per lumen quod extrâ illum existit; constat autem in Sac. Script. iustos lucem, peccatores verò tenebras appellari; *eratis aliquando*, inquit Apost. ad Ephes. 5. v. 8. *tenebrae, nunc autem lux in Domino.*

XXIV. Re desperatâ Sectariorum nomen confugiunt. Justificare, inquit Amelius fol. 125. ut semper fere in Scriptura sic præcipuè, cum Deus dicitur impium justificare, accipitur significatione forensi pro iustum habere; pronunciare &c. Respond. cum Tannero Tom. 2. D. 6. Q. 5. dub. 1. nihil inde contra nos evinci. Nam quicumque veraciter ab altero pronuntiatur iustus, is verè habet iusticiam aliquam internam. Sed homo veraciter & sæpe à DEO pronuntiatur iustus. Ergo is habet verè inhærentem iusticiam coram Deo. Major ostenditur inductione; quippe semper tam apud Sacros quàm prophanos Doctores, adeoque communi loquendi usui etiam forensi, is qui iustificatur, seu iustum pronunciat alterum, tribuit illi suâ estimatione iusticiam internam ejus generis, quæ ad forum iustificantis pertinet; sic enim Judex politicus tribuit iustificato iusticiam, hoc est, innocentiam politicam & immunitatem ab imputato scelere. Neque prædictum vocabulum unquam aliter usurpatur; hoc solum discriminè est inter iusticiam politicam & divinam; quod Judex in foro externo non primùm conferat iusticiam ei, quem absolvit, sed solum declarat in esse, & in hoc ipso tamen nonnunquam fallatur: Deus autem absolvendo seu iustificando hominem & facit iustum, & in suâ sententiâ aut iudicio nunquam fallatur. Videatur Bellarminus Lib. 2. de Justificat. cap. 9.

CONTROVERS. LII.

UTRUM IN JUSTIFICATIONE
ne peccata verè tollantur?

 Sctarij Justificationem suam in duas fecant partes; primam volunt consistere in tali peccatorum remissione, ut tamen ista peccatori re ipsâ inhæreant, & solvunt tegantur: alteram dicunt esse cõperculum quoddam supra peccata hominum tecta, nempe Justiciam Christi, non verò qualitatem quandam insulam, quam nos Gratiâ Sanctificantem appellamus. De hac parte diximus contrav. priore. Nunc de illa agemus.

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. **D**octrina prima. Gratiâ Sanctificans de se & naturâ suâ exigit expulsiõnem peccati.

Ita cum S. Thomâ 1. 2. q. 113. a. 2. plerique. Probatur. Tum quia hæc doctrina conformior est Tridentino Sess. 5. in decreto de peccato Originali asserenti *per gratiam in Baptismo collatam remitti reatum peccati originalis*, quod causalitatem formalem denotat. Tum quia Catechismus Romanus ait. *gratiam juxta Tridentinum esse qualitatem in anima splendorem & lucem delentem omnes maculas animæ*, quod sine dubio denotat vim naturalem sufficientem ad eum effectum. Tum quia cum qualitas naturâ suâ expulsiõnem peccati non repugnet, conforme est Sac. Scripturæ Patribus ac Theologis, talem de facto esse gratiam; quippe affirmant passim, eam esse *pretiosissimum donum*, 2. Petri 1. v. 4. *Lucem*, 2. ad Corinth. 4. v. 6. ad Ephes. 5. v. 9. *Vitam* 1. Joan. 5. v. 24. *Sanctitatem*, ad Ephes. 4. v. 24. *Filiationem Dei* 1. Joan. 3. v. 1. *Iusticiam* ad Ephes. cit. & alibi &c. Atqui Lux naturâ suâ opponitur tenebris, Vita morti, Sanctitas iniquitati, Filiatio exclusioni à regno per peccatum &c. Si autem gratia nihil horum habet naturâ, quomodo maximum & pretiosum DEI donum diceretur? quomodo cæteræ dotes & prærogativæ ei tribuerentur? Ergo immerito de tali virtute dubitatur?

II. Oppositum tenent Nominales & nonnulli alij Theologi rati, ad hoc ut gratia sanctificans deleat peccata, reddat Amicum; & Filium Dei &c. necessarium esse favorem Dei extrinsecum per modum formæ. Moventur maximè. Tum quod gratia non acceptetur à Deo propter suam perfectionem sive naturalem sive moralem. Tum quod aliàs iustus non posset peccare ob impedimentum naturale, nempe gratiam impeditivam peccati. Tum quod gratia per absolutam Dei potentiam possit stare cum peccato mortali, DEO conservationem illius contra exigentiam continuante. Ergo ex se non facit Sanctum, sed tantum per extrinsecum Dei favorem: Hæc, inquam, omnia talia non sunt, ut aliquid contra doctrinam nostram persuadeant. Respond. ad 1. gratiam acceptari à Deo propter perfectionem naturæ talis, quæ sit quasi obligatio & promissio Dei, ut inde favorem DEI non negemus, sed tali entitati affixum affirmemus. Ad 2. Iustum non posse peccare simul & retinere gratiam impeditivam peccati: at bene peccare & per peccatum expellere gratiam; quia Deus hanc conservans non prius se ad id determinat, quàm videat, eum hominem non determinare se ad peccatum; ideoque in illo priori, quo homo est liber ad peccatum & ejus carentiam, præscinditur à gratiâ, sicuti universim causa pro prior naturæ solum concipitur cum necessarijs ex parte suâ ad operandum; ut docetur in Philosophia. Ad 3. transeat Antecedens, negatur consequentia: Nam ut aliqua forma dicatur verè & absolute habere aliquem effectum, sufficit ut eam naturaliter præstet, etiãmsi divinitus impediri possit, uti patet in calore, qui utique nimius torquet hominem ex natura sua, quantumvis tortura hæc divinitus impediri possit. Dixi transeat Antecedens; quia de hoc lis est inter Scholasticos. Negant aliqui, posse etiam divinitus gratiam stare cum peccato mortali. Affirmant plures alij, quibus nos subscribitur cum Card. Bellarmino L. 2. de Justif. cap. 16. Nam quando homo actu peccat, gratia non potest desinere in eo esse, nisi per subtractionem concursus divini. At DEUS potest absolute continuare

tinuare suum concursum, non obstante exigentia peccati, ut hunc deneger, & cum tali turpitudine non relinquit in eodem subiecto tantam pulchritudinem; si autem potest Deus conservare gratiam in homine, dum actu peccat, quare idem non possit post peccatum actuale transactum? Ergo gratia divinitus permanere potest cum peccato tam actuale quam habituali. Nec inde inferre licet, hominem fore conversum ad Deum, & ab eodem aversum, justum injustum &c. Nam similia duo important; unum positivum, nimirum gratiam; negativum alterum, videlicet carentiam peccati. Utrumque horum præstat gratia etsi diverso modo; etenim positivum per suam entitatem facit; negativum verò per connexionem cum eodem & exigentiam remissionis peccati, quam etsi suæ debitam naturæ non consequatur absque interveniente DEI remittentis voluntate; hæc tamen non obstante intrinsecâ illa gratiæ exigentiâ potest non esse, sive non intervenire, utpote actus DEI liber. Cum ergo tunc non daretur ea carentia peccati, adeoque subiectum requisitum; non etiâ darentur absolute effectus, &c. &c., quas diximus denominationes. Videri potest Oviedo 1. 2. Tract. de Gratia Contr. 4. p. 3.

III. *Doctrina secunda.* Gratia expellitur per peccatum actuale & habituale non efficienter physice, sed moraliter. Ita ex communi fere aliorum Theologorum Arriaga. Tom. 4. D. 45. n. 43. ubi bene advertit, efficienter destruere dupliciter accipi posse; nimirum vel immediate cessando à conservatione rei, vel producendo aliquid, quod ipsam destructionem petat. Hoc ergo notato. Facile patet ratio prioris; quia peccatum tam actuale quam habituale nihil physicum à se distinctum producit effective, quod sit gratiæ contrarium, sed immediate per se ipsum expellit illam. Ratio posterioris est; quia ille moraliter effective concurrat ad aliquid, qui ad hoc inducit alium, jubendo, suadendo, perendo &c. Atqui hoc facit peccatum & actuale & habituale demeritoriè gratiam expellendo, adeoque Deum quasi inducendo, ne cum tali turpitudine pulchritudinem supernaturalem sive gratiam conservare pergat. Ergo &c. Hinc à fortiori peccator ipse dici potest expellere gratiam efficienter moraliter, quatenus efficit peccatum actuale pugnant cum gratiâ. Habitus vitiosus non habet repugnantiam cum gratia, neque hæc formaliter ab anima expellit, ut patet in plerisque justis, qui pravis habitibus affecti fuerunt. Quomodo autem vicissim gratia expellat peccatum, ex his ipsis constat.

IV. *Doctrina tertiâ.* Remissio peccati, quæ in justificatione formaliter includitur; non est sola occultatio, seu non imputatio, sed vera abolitio & omnimodâ peccati mortalis delitio. Ita omnes Catholici & definit Trident. Concilium Sess. 5. in decreto de peccat. orig. his verbis: *si quis per JESU Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismo confertur, peccati originalis reatum remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed dicit, illud tantum radii regi; non imputari, anathema sit.* Et mox addit rationem inquisiens: *in reatu enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis ipsi, qui verè sepulti sunt cum Christo per Baptismum in mortem.* Idem dogma habetur in Sac. Scriptura, quæ affirmat omnia nostra peccata projici in profundum maris. Michæ 7. v. 19. deleri. Act. 3.

v. 19. tolli Joan. 1. v. 29. *impium mundari, lavari, & super nivem dealbâri* Plal. 50. v. 9. Si ergo peccata projiciuntur, tolluntur, delentur &c. quo pacto manent adhuc in homine justo? Sacræ Scripturæ consonant Patres; è quibus D. Augustinus L. 1. contra epist. Pelagij c. 13. cuidam asserenti; Baptisma solum radere, non auferre peccatum sic respondet: *quis hoc nisi infidelis asserat? dicimus enim Baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina non radere.* Idem suadet ratio. Nam Deus vel potest penitus auferre & abolere peccatum; vel non potest? si non potest, non est Omnipotens; quia omnipotentia omnia debet posse, in quibus nulla apparet implicantiâ contradictionis, sicuti non apparet in hac abolitione peccati: si potest, quare non facit? an Christus tantum non meruit? an Deus ita est tenax, ut nolit penitus tollere? quæ omnia sunt blasphemæ & divinus perfectionibus repugnantia. Similiter tegendo peccata vel non deponit DEUS odium & iram erga hominem, sed pergit illum odisse; vel cessat ab odio erga illa peccata; ita ut propter hæc homines illi non amplius displiceant sed potius placeant, & amore amicitiae amentur? prius aperit esse falsum; innumeris enim locis Scripturæ dicuntur homines Deo placere, amici, & dilecti esse. Si ergo posterius jam verissime tolluntur peccata; etenim peccatum habituale, ut moraliter manens, nihil est aliud formaliter, quam physica præterito, ut à Deo nunc odio habita, seu non condonata; unde ipsum cessare ab odio est tollere. Videantur DD. à Walenburch Tom. 2. fol. 488.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

V. *Error primus.* Non datur Gratia Sanctificans, seu qualitas supernaturalis peccati manens, quæ in anima subiecta omne omnino peccatum radicatus in ea tollat. Ita Sectarij moderni Lutherani apud Gerhard. L. 2. Part. 2. à fol. 911. & eodem L. P. 3. fol. 681. Calviniani apud Ames. Tom. 3. à fol. 67. & Tomo 4. à fol. 113. probant. Tum quia nullum hujus gratiæ peccatorum delectivæ habetur fundamentum in Scriptura; Gratia enim, inquit Amesius Tom. 4. fol. 115. apud Paul. ad Rom. 3. v. 24. & ubicunque agitur de justificatione in Scriptura nihil aliud significat, quam *gratum Dei in nos favorem actualem.* Tum quia etiâ homini in justificatione dona infundantur, quibus formaliter sit justus, & renovatus existat, hæc tamen non sunt justitia ut per illa constituatur justus, sed illud sit prius per justitiam Christi imputatam, ad quod deinde legitur Sanctitas & renovatio, & quidem sola imperfecta, & eorum Dei tribunalis noxia. *Etsi, inquit Calvinus L. de verâ Ecclesiæ reformat. pag. 388. nunquam reconciliemur DEO, quin simul denemur inhaerente justitiâ, distingui tamen debent, quæ separari nequeunt.* Dicere vult, duplicem esse justitiam, unam extrinsecam à Deo nobis imputatam, quæ reverâ justificamur; alteram inhærentem ac constantem fide spe & charitate atque operibus bonis. Tum quia communiter Doctores ac Patres Ponti-

Pontificij ad vitam æternam referunt, quod in ea demum Sponsa Christi futura sit sine ruga & macula. Tum quia ejus rei, quæ gratis datur, non potest esse fundamentum in acceptatione. At justificamur gratis. Ergo non datur qualitas physica seu gratia in acceptatione, ob quam eam causam meritoriam justificationem acquiramus.

VI. Hunc errorem satis jam rejecimus in priori Controv. Et manifestè repugnat Sac. Scripturæ, quæ diversimodis in locis affirmat hominem *ablutum, sanctificatum, renovatum, regeneratum*, imò *immaculatum*, ut Psal. 118. *Beati immaculati in via.* & Cant. 4. v. 7. *tota pulchra es, & macula non est in te;* 1. ad Corinth. 6. cum Apostolus gravissimos peccatores retulisset, subjecit v. 11. *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati in nomine Domini JESU Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Item ad Ephes. 4. v. 23. *Renovamini autem Spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* 1. Petri 1. v. 3. *qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos scilicet in Baptismo, ut patet ad Tit. 3. v. 5. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis.* Hæc omnia intelligi non possunt absque justitia homini intrinsicè infusâ, per quam absolvitur homo à peccatis, justificatur, sanctificatur, renovatur, & regeneratur, ut in se penitus novus existat, qui prius formam Adæ gesserat, per peccatum sibi inhærens. Argumenta allata nihil persuadent.

VII. Respondetur ad i Extra omne dubium esse, quod homo ex favore & misericordia DEI justificetur; sed præter hunc favorem & gratiam activam; quæ in Deo est, & se tenet ex parte efficientis; dari aliam gratiam à DEO creatam, & homini donatam, quam non male dixeris *intrinsecè in Deo ergo nos Benevolentia externam expressionem in anima nostra existentem*: falsumque esse; absque fundamento Scripturæ id à nobis asseri. Nam apertè habetur Joan. 1. v. 16. *de plenitudine ejus nos omnes accepimus & gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* Ubi gratia, quam accepimus, non potest intelligi, de gratia activa, seu Dei favore & benevolentia, quia illa non est facta, sed est DEO intrinsecè. Omitto plura Scripturæ testimonia alibi jam adducta. Ad 2. negando, justos nos fieri per imputationem justitiæ Christi. Nam per charitatem & donum animæ intrinsicè inhærens, quæ est Justitia, formaliter nos justificari, clarè indicat Sac. Scriptura. Tum alibi. Tum ad Titum. 3. v. 4. ubi eum Apostolus dixisset: *Cum autem apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri DEI, non ex operibus justitiæ, qua fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. quem effudit in nos abundè per JESUM Christum Salvatorem nostrum.* Subjungit: *ut justificati gratiâ ipsius heredes simus secundum spem vite æternæ &c.* per Spiritum enim diffusum, quò tanquam per causam formalem primò regeneramur & reformamur, intelligitur donum creatum, & animæ intrinsicè inhærens, quæ est justitia, seu gratia Sanctificans, ut communiter interpretantur PP. è quibus Augustinus epist. 106. ait: *antequam gratiâ justificetur, & justus efficiatur homo, quid est nisi impius?* Si autem homo antequam gratiam & charitatem accipiat, est impius. Ergo non fuit per extrinsecam imputationem Justitiæ Christi justificatus. Ad 3. Patres & Doctores nihil aliud per hoc indicare velle, quam homines

communiter in hac vita, quantumvis justos, non esse absque omnibus peccatis saltem venialibus ob humanam fragilitatem commissis, quibus tamen Sanctitas, Justitia, & Amicitia cum Deo non tollitur; *septies enim in die cadit justus, & resurgit.* Prov. 14. v. 16. Ad 4. justificationis utique non dari causam meritoriam ex parte hominis, sed merè per gratiam & misericordiam DEI fieri, ut patet ex verbis Apostoli ad Titum cit. At Gratia Sanctificans est ipsa justificatio & Sanctitas, quæ animæ hominis infusa eam à peccatis purgat, regenerat, renovat, & sanctificat. Quod D. Augustinus indicat hisce verbis notatu dignissimis in Psal. 89. *Laudemus & exaltemus illum, qui fecit ipsam justitiam, quam habemus; ipse in nobis fecit; quis enim in nobis fecit justitiam, nisi qui nos justificavit?* Nos ergo impij: ille justificator, quando & ipsam justitiam ipse in nobis fecit, quæ illi placeamus.

VIII. Error secundus. Peccata in Justificatione non verè tolluntur, sed solummodo teguntur. Ita apertè delirant Sectarij hujus temporis Lutherani apud Gerhard. L. 2. P. 2. fol. 513. Calvinistæ apud Amesium Tom. 3. fol. 66. ima summis, cælum terræ, peccata Justitiæ sociantes. Probat ex Psal. 31. v. 1. (aliud enim argumentum peculiare apud cit. non reperio) malè intellecto: *Beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum recta sunt peccata.* Ubi remissio explicatur per tegumentum; quod aurem tegitur, inquitur, non tollitur, sed tantum absconditur; quia Deus dissimulat, se videre peccata hominum, & non vult ea punire, quasi non essent.

IX. Mirandum planè est, hæreticos hoc unum vocabulum tegumenti in unico loco Sac. Scripturæ repertum præferre multis alijs clarè affirmantibus; peccata penitus tolli & elui, quæ loca Scripturæ supra adduximus. Arguent certè vesani isti homines Joannem Baptistam, non rectè dixisse Joan. cap. 1. v. 29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;* sed dicere debuisse: *ecce agnus Dei, ecce qui tegit peccata mundi;* sic nempe Agnus sanguine suo Apoc. 22. v. 14. lavare stolas & emaculare non potuit, sed sordes tantum obtegere justitiæ suæ stolæ, an non hæc aperta in sanguinem Christi injuria? Adhæc si peccata manent in Justis, tunc etiam manebunt in beatis, adeoque falsum erit, quod ait Joannes. Apoc. 21. v. 27. *de Cælesti Jerusalem: Nihil intrabit in eam inquinatum.* Falsum etiam erit quod ait Apost. Ad Ephes. 5. v. 25. *de Ecclesia: Christus dilexit eam, & se ipsum tradidit pro ea; ut illam sanctificaret, mundaret lavacro aquæ in verbo vite, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata;* hoc inquam, falsum erit; etenim secundum hæreticos est plena maculis & sordibus peccatorum, instar leprosi pallio recti, vel instar sepulchri dealbati, ut ait Christus Matth. 23. v. 27. *Erunt sicut sepulchra dealbata, qua a foris parent hominibus speciosa, intus autem sunt plena ossibus mortuorum.* Pluribus errorem hunc supra rejecimus.

X. Ad fundamentum Adversariorum respondemus, non tantum dici id tegi, quod verè remanet & solum occultatur, sed etiam id, quod verè aufertur. Eleganter D. August. Tom. 8. Ennarrat. 2. in cit. Psal. notat, vulnus aliter tegi à vulnerato, aliter à Medico; ille pallio occultat vulnus: iste emplastro sanat & aufert. Sic nempe, inquit S. Pater, *DEUS tanquam Medicus tegit peccata nostra*

za nostra & vulnera, id est, sanando & illa auferendo; Similiter imputatur nobis non tantum id, quod in se tale non est; sed etiam, quod verè tale est, sic peccata dicuntur nobis imputari, ac proinde non-imputatio, cuius fit mentio eodem Psal. v. 2. significat & id quod verè tollitur & deletur.

XI. Dicit Gerhard. L. 2. part. 2. cit. fol. 912. peccata in Baptismo & justificatione verè remitti, & calumniam Lutheranis fieri à Pontificijs, quando isti spargunt; juxta illorum doctrinam peccata tantum radi, tegi, & non tolli. Idem sentit Hailbrunner in suo novo Papatu fol. 37. asserens hanc Lutheranorum doctrinam conformem esse Sancto August. Tom. 7. de Concup. & Nupt. L. 1. c. 25. ubi ait: *Concupiscentiam carnis in Baptismo dimitti, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur.* Respondeo Gerhardum ludere in verbis, nec scire quid dicat. Nam si remittantur peccata in baptismo & justificatione, vel absolute adhuc aliquid peccaminosum Deoque displicens manet, vel non? si manet. Ergo peccata non sunt remissa: si non manet. Ergo peccata penitus sunt sublata, quæ Catholicorum est doctrina, & non merè non imputata. Audis illum loc. cit. distinguere, peccata deleri solum, ut non amplius ad damnationem imputentur: non autem ut nullæ illorum maneant reliquæ. Sed hoc est, quod dixi, nescire Gerhardum, quid loquatur; implicat enim in adjecto, peccata deleri solum, ut non amplius ad damnationem imputentur, & hoc ipso non penitus tollantur, atque homo perfecte innovetur, ut expressis verbis docet S. August. Lib. 6. contra Julian. c. 5. ajens: *nunc autem gratia perfectè innovat hominem. quantum ad liberationem ab omnibus omnino peccatis.* Quando igitur idem S. Pater L. 1. de Nupt. & Concupisc. cit. scribit. *Concupiscentiam dimitti, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur,* aliud dicere non vult, quàm id, quod in homine per concupiscentiam: & in hac se singulariter manifestat, hoc est, peccatum originale dimitti, non quod ipsa concupiscentia amplius non sit, sed quod non amplius nobis in peccatum imputetur; siquidem peccatum & culpa non amplius existit; cum enim peccatum originale per concupiscentiam, & in hac singulariter se prodat, idcirco hæc ipsa concupiscentia appellatur peccatum. Atque hunc esse verum sensum S. Augustini, ipsimet etiam Adversarij fatentur. Et idcirco Lutherus & Melancthon corruerunt prædicta Augustini verba, loco *concupiscentia* verbum *peccati* ponendo; Lutherus quidem in Assert. a. 2. Melancthon verò in Apolog. §. de Justitia. ubi ita scribunt: *ad eundem modum loquitur Augustinus, qui ait: peccatum in baptismo remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur; hic palam fatetur, esse hoc, & manere peccatum, tamen non imputetur.* Nunquid hoc est crimen falsi? absque dubio; & quidem magnum & apertum; quid autem opus fuisset tali corruptione verborum, si ista per se Adversarij patrocinata fuissent. Videri potest Jacobus Keller in Papat. Cathol. Tom. 2. fol. 172. Tanner Tom. 2. Disp. 4. Q. 7. a. num. 80.

Et infra Controversia nostra
60. §. XVIII.

✠:o: IHS. :o:✠

CONTROVERS. LIII.

DE DISPOSITIONIBUS Justificationis?

Dives Causæ concurrunt ad Justificationem Impij, quas omnes D. Paulus ad Rom. 3. v. 24. indicat his verbis: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo JESU, quem proposuit propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Nam justificamur à DEO gratis, hoc est, ex merâ liberalitate, quantum ad nostra merita, & hæc Dei liberalitas est causa Efficiens. Justificamur autem per gratiam ipsius, hoc est, per Justitiam ab illo donatam & infusam; & hæc est causa Formalis. Justificamur item per redemptionem, quæ est in Christo JESU, & hæc est causa Meritoria. Justificamur denique per fidem in sanguine propitiationis, & hæc est causa Dispositiva. Hæc expositio conformis est S. Augustino, alijsque Patribus; atque ipsa Apostoli verba, nisi contra nativam vim torqueantur, eam spontè ingerunt. Hæretici tamen longè aliter eadem verba interpretantur, & gravissimè tam contra Dispositiones, quàm reliquas Causas errant. Unde de causa Dispositiva præfens controversia: proxima de reliquis causis instituetur.

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. **D**octrina prima. Ad Justificationem impij aliqua est necessaria Dispositio Moralis, quæ per unum aut plures actus bonos fiat. Hoc dogma habetur in pluribus Sac. Scripturæ locis, in quibus DEUS petit ab homine, ut agat penitentiam, & convertatur ad Dominum, ad hoc ut ipse in suam gratiam illum recipiat. Ezechiel. 18. v. 30. Joël. 2. v. 10. i. Reg. 7. v. 3. Matth. 3. v. 2. *penitentiam agite.* Eandem veritatem definit Tridentinum Sess. 6. c. 5. & 6. ac tradiderunt Patres, dum peccatores ad penitentiam hortantur, ut superfluum sit eorum testimonia referre. Congruentia esse potest, quod planè oportuerit, ut pro tam ingenti beneficio se homo aliquantulum prepararet per actus bonos; quod quia homines inæqualiter faciunt, & unus agit penitentiam, non alter, ideo remittit Deus de facto uni homini peccatè, alteri verò non, absque justa cuiusque querela, quod damnatus sit præ alio, qui non magis erat dignus veniâ; quippe responderi poterit, illum penitentiam egisse: non item istum. Ergo non Dei, sed hominis est causa. Imprimis autem ad Justificationem in adultis requiritur Fides. Nam clara sunt verba Sac. Scripturæ ad Heb. 11. v. 6. *Sine fide impossibile est, placere DEO; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Concilium etiam Trident. Sess. 6. c. 6. cit. inter dispositiones primo loco numerat fidem, utpote fundamentum vitæ spiritualis. Præter fidem tamen ad justificationem requi-

requiruntur etiam aliæ quædam dispositiones & bona opera, ita ut illa sola non sufficiat. Nam Sac. Scriptura tribuit etiam alijs actibus nostram justificationem, ut Spei Psal. 36. v. 4. Proverb. 28. v. 25. Marth. 9. v. 2. ad Rom. 8. v. 28. 1. Joan. 3. v. 3. Omnes, qui habet Spem in eo, sanctificat se, sicut & ille Sanctus est. Charitati Lucæ 7. v. 45. 1. ad Corinth. 13. v. 1. & 2. ad Galad. 5. v. 6. Nam in Christo JESU neque circumciso, neque præputium aliqd. valet, sed fides quæ per Charitatem operatur. Timori Psal. 110. v. 10. Prov. 10. v. 17. Ecclesiastici 1. v. 27. Timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est; non poterit justificari. Penitentia Ezechiel. 9. v. 31. Luc. 13. v. 3. Nisi penitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Hinc Sacrum Tridentinum Concilium Sess. 6. can. 9. & ibidem c. 6. damnans hæreticorum sententiam enumerat prædictos actus inter primas dispositiones ad Justificationem.

II. *Doctrina secunda.* Dispositionum ad Justificationem alia est Remota: alia Proxima. Ita communiter Catholici Doctores. Nam aliqui sunt actus, quibus in eodem instanti annexa est gratia, ut de Contritione etiam extra Sacramentum definit Tridentinum Sess. 14. c. 4. & ante Sacramenta nostra instituta ejusmodi dolor omnino fuit necessarius ad justificationem; nunc autem cum Sacramento confessionis & baptisimi proxima dispositio dici potest Attritio, quæ in eo Sacramento habet annexam gratiam. Dispositio Remota est illa, quæ præcedere potest tempore, & aliquo modo promereri à Deo novam gratiam excitantem ad obtinendam peccatorum remissionem; talis est elemosina, de qua Daniel. 4. v. 24. dicitur: peccata tua elemosinis redime; tales sunt actus aliarum virtutum, quibus solet Deus moveri, licet non semper & infallibiliter, ad conferenda auxilia efficacia pro contritione aut confessione. Rursus hujus remotæ dispositionis alia est per accidens, ut sunt actus elemosinæ, humilitatis &c. etenim hi per se non sunt necessarii, licet, quando existunt, conducant eo, quem diximus, modo: alia per se, ut in primis est actus fidei; hæc siquidem est initium omnis justificationis.

III. *Doctrina tertia.* In particulari loquendo dispositionum ad justificationem aliæ se tenent ex parte intellectus: aliæ ex parte voluntatis. Explicatur. Ex parte intellectus se habet fides, quam Sectarij triplicem agnoscunt. *Primam historicam*, quæ credimus omnia, quæ in Sac. Scriptura habentur, & hanc nos Orthodoxi vocamus Dogmaticam, Catholicam & Theologicam. *Alteram Miraculorum*, quam inter gratias gratis datas numeramus ab Apostolo 2. ad Corinth. 13. recensitas. *Ultimam Promiseionem* vel Generalem, quæ credimus promiseiones ad omnes Christi fideles Spectantes; & hanc fidem nos Catholici non distinguimus à Dogmatica, quæ spectat etiam credimus, ritè penitentibus à Deo peccata remitti. Fides igitur, quam nos Catholici ad justificationem tanquam dispositionem requirimus, est Dogmatica, seu Theologica. Sumitur hoc ex eo, quod S. Scriptura Concilia & Patres objectum fidei, quæ est necessaria ad justificationem, non dicant esse illam specialem promiseionem, sed mysteria à DEO revelata, quæ sunt objecta fidei dogmaticæ. Joannis 20. v. 3. hæc scripta sunt, ut credatis, quia JESUS est Christus Filius DEI, ut credentes vitam eternam habeatis in nomine ejus. Ad Rom. 10. v. 9. si confitearis in ore

tuo Dominum JESUM, & in corde tuo credideris, quod Deus suscitaverit illum à mortuis, salvus eris. Præterea symbola Apost. Nicenum & S. Athanasij fuerunt conscripta, ut Catechumenis & infidelibus in compendio proponeretur, quid credere deberent ad baptismum utiliter suscipiendum, in quibus tamen nulla sit planè mentio illius specialis fidei, sed solum proponuntur aliqui præstantiores articuli, qui spectant ad fidem Dogmaticam. Sicuti remissio peccatorum, quæ est promiseio quædam generalis. Demum S. Augustinus in Enchir. postquam c. 7. docuit, salutem fidei, spei, & charitate acquiri, asserit c. 8. illam fidem esse rerum præteritarum præsentium & futurarum; illam enim credimus, Christum natum; mortuum in Cruce, quod jam præterijt: credimus sedere ad dexteram Patris, quod nunc est: credimus venturum ad judicandum, quod futurum est.

IV. Ex parte voluntatis se habent Timor Domini, Spes, Amor Dei, Odium peccati, Propositum vitæ emendandæ; ut exprimit Tridentinum Sess. 6. c. 6. Timor Domini multum quidem prodest ad justificationem; imò ordinariè est necessarius, absolute tamen nec servilem, nec filialem requiri, docent Valentia, Suarez, Granadus, & alij, quos refert & sequitur Oviedo in 1. 2. Tract. 8. Controv. 2. n. 64. potest enim Deus immediate excitare hominem ad generosissimum actum maxime peccatores fideles, imò & infideles, quamvis id rarissime apud istos contingat, ut insinuat S. August. L. de Catechiz rudibus c. 5. Spem theologiam requiri ad justificationem docent communiter Theologi ex pluribus Sac. Scripturæ locis. Ut ad Rom. 8. v. 24. Spe enim Salvi facti sunt. Psal. 34. v. 40. Salvabit eos, qui speraverunt in eo. Matth. 9. v. 2. Confide fidei, remittuntur tibi peccata tua. Ratio sumitur ex S. Ambrosio L. 1. de penit. c. 1. ubi sic ait: nemo potest agere penitentiam, nisi qui speravit indulgentiam. Amor alius est perfectus, alius imperfectus. Concilium abstrahit ab utroque, ita ut ad justificationem extra Sacramentum requiratur perfectus Amor: in Sacramento sufficiat imperfectus. Non obstat, quod ea dilectio versetur circa Deum, ut fontem omnis justitiæ, quod ad dilectionem Concupiscentiæ pertinere videtur. Nam etiam Deus, ut fons omnis justitiæ, terminare potest amorem super omnia; siquidem esse talem fontem est in ipso Deo, & quasi pro ipso Deo maxima perfectio. Ergo amari potest amore in ipsoistente, ut contra Vasq. rectè Arriaga. Odium quoque peccati abstrahit à perfectò vel imperfecto. Ita ut odium Attritionis in Sacramento sufficiat: Contritionis verò extra id requiratur, ut Concilium sub hac disjunctione intelligunt Card. Bellarminus L. de Justif. c. 13. & alij. Propositum denique non peccandi de cætero in attritione & contritione includitur, si motivum etiam illius prioris ad omnia peccata se extendat. Ideoque non est necessariò actus distinctus ad justificationem, quò expressè id ametur, licet moraliter fieri nequeat, ut homo attendens ad tempus futurum, & feridè de peccato dolens non expressè concipiat propositum, imposterum non peccandi. Præter hos actus non requiritur ullus alius.

V. *Doctrina quarta.* Justificatio per se fit in instanti. Ita docent Theologi communiter; quidquid secus putet Michaël Bajus ab omnibus rejectus. Ratio est. Quia per se loquendo justificatio, non

tio non includit, nisi ultimam dispositionem, & formam cum suis effectibus formalibus, quæ omnia simul sunt in instanti, ut docetur in Philosophia. Dixi per se, non enim negaverim, per accidens ratione dispositionum remotarum ordinariè justificationem fieri in tempore. In illo autem instanti observatur iste ordo. In primo instanti Naturæ adultis cogitatur inesse ultima dispositio ad gratiam: in altero gratiæ infusio: in ultimo peccati remissio. Nam ultima dispositio ad gratiam necessariò saltem naturâ præcedit infusionem gratiæ, quæ etiam præcedit remissionem peccati, veluti causa effectum suum formalem.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

VI. **E**rror primus. Non dantur Actus Spei, Charitatis, Pænitentiae &c. quæ ad justificationis efficientiam præquirantur. Ita ex communi Sectariorum Gerhardus L. 2. P. 3. fol. 623. ubi rationem dat. Quia ubicunque in Scriptura modus & ratio nostræ justificationis describitur, quantum ad applicationem seu instrumentum apprehendendi Christum, ibi nominatur fides, nec quiquam aliud. Ergo Actus Spei, Charitatis, Pænitentiae & aliarum virtutum nihil faciunt ad Justificationem, quod idem tradidit Lutherus in cap. 2. ad Gal. ubi ait: *Sola fides Christi necessaria est, ut justi simus, cætera omnia liberrima, neque præcepta amplius, neque prohibita.* Idem fides sine, & ante charitatem justificat. Hunc errorem à Tridentino, ut vidimus, damnatum, nimis aperte rejicit Sag. Scriptura diversis in locis, quorum aliquos jam retulimus. Luber hic unum & alterum addere, ubi DEUS sub horum actuum conditione veniam promittit, ut Deutr. 4. ubi tum Moyses prædixisset, quod populus ex terrâ Sanctâ propter peccata dispergendus esset, postea promittens veniam, dicit v. 29. *Cumque quaesieris ibi Dominum, inventes eum, sitamen in toto corde quaesieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Similiter Ezechiel. 18. v. 21. *Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est &c. vita vivet.* Ratio adducta nititur errore statim pluribus refutando, scilicet solam & unicam fidem habere vim beneficæ Christi in verbo Evangelij proposita apprehendendi, & Christi justitiam sibi applicandi.

VII. **E**rror secundus est. Fides sola tanquam instrumentum apprehendendi Christi justitiam justificat, & hæc unica sufficit, ita ut aliud ad justificationem nostram non requiratur, uti eum exponit Tridentinum loco mox citando; alij enim sensus hujus propositionis: *sola fides sufficit*, non rejicit Concilium, ut notant DD. à Walenburch. Tom. 2. fol. 473. Hunc errorem mox ab initio Ecclesiæ exortum & in inferno jam sepultum excitant iterum hujus temporis hæretici soli Fidei justificationem attribuentes, pro quo multa Sacræ Script. Testimonia adducunt. Ex quibus triplex quasi propugnaculum ædificant ad doctrinam hanc suam acerrimè propugnandam. Primum construunt ex ijs locis, quæ fidei adseribunt justitiam absque ulla mentione aliorum operum? quæ utique non fuissent tacita, si forent necessaria, ne ho-

mines inani spe deciperentur, in sola fide confisi; hujusmodi autem sunt ista. Luc. 7. v. 50. *Fides tua te salvum fecit*, Marci 16. v. 16. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, Joan. 3. v. 36. *qui credit in filium DEI, habet vitam æternam* ad Rom. 3. v. 36. *ipse justus & justificans eum, qui est ex fide JESU Christi* ad Gal. 3. v. 8. *ex fide justificat Gentes DEUS.* & v. 9. *qui ex fide sunt benedicuntur cum fidei Abraham.* Alterum erigunt ex ijs locis, quibus universim omnibus credentibus justitia & salus promittitur, quod verum non esset, si præter fidem alia bona opera requirerentur; hujusmodi autem sunt Act. 10. v. 43. *Quicumque credunt in Christum, accipient remissionem peccatorum.* Act. 13. v. 39. *in Christo omnis, qui credit, justificatur.* Ad Rom. 1. v. 16. *Evangelium virtus DEI omni credenti.* Ad Rom. 3. v. 22. *Justitia Dei per fidem JESU Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.* Tertium sive ultimum continet ea loca, quæ nostra opera disertè excludunt à justificatione, & consequenter soli fidei eam adscribunt, hujusmodi sunt Luc. 8. v. 20. *noli timere, crede tantum, & salva eris.* Ad Rom. 3. v. 18. *arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis.* Ibidem c. 4. v. 5. *ei qui non operatur; credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ad justitiam.* Ad Gal. 2. v. 16. *non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem JESU Christi* ad Ephes. 2. v. 8. *gratis estis salvati per fidem; & hoc non ex nobis ad Philip. 3. cap. 9. inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi JESU.*

VIII. Propugnaculis hæc addunt Sectarij aliquot Patres, quos ajunt veluti generosos Milites pro prædictâ suâ doctrinâ stare. 1. est Origines, qui in epist. ad Rom. c. 3. L. 3. ita scribit: *dicit Apostolus, sufficere solius fidei justificationem, in utroque quis tantummodo justificatur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum.* 2. est D. Hilarius c. 8. in Math. monet, inquit, scribas remissum ab homine peccatum; hominem enim tantum in Christo JESU intuebantur, & remissum ab eo, quod laxare non poterat, fides enim sola justificat. 3. Basilius M. Episcopus Cæsariensis Hom. de humilit. ait: *hæc est perfecta & integra gloriatio in DEO, quando nec ab justitia suam se jactat, sed novit quidem se ipsum verè justitiam indignum, solâ autem fide in CHRISTUM justificatum.* 4. Nazianzenus in orat. 26. de moderatione in disputando: *confutere inquit; JESUM CHRISTUM, eumque, à morte ad vitam rediisse credè; justitia est enim vel solum credere.* 5. est Ambrosius qui in 1. ad Corinth. 1. hæc habet: *in Christo JESU data est gratia, quia hoc institutum est à DEO, ut qui credit in Christum, salvus sit sine opere solâ fide gratis accipiens remissionem peccatorum.* Idem ad Rom. 3. *Justificati sunt Judæi & Græci gratis, quia nihil operantes neque vicem reddentes solâ fide justificati sunt dono DEI.* Rufinus ad Rom. 4. *quomodo Judæi per opera legis justificari se putant, justificatione Abraham; cum videant Abraham non ex operibus Legis, sed solâ fide justificatum.* Non ergo opus est lege, quando impius per solam fidem justificatur apud Deum. 6. est Hieronymus in c. 4. ad Rom. *Impium, inquit ille, per solam fidem justificat DEUS.* Et paulo post: *secundum propositum gratiæ DEI, qui proposuit gratis per solam fidem peccata dimittere.* Idem in c. 3. ad Gal. *Abraham credidit DEO &c. ita & nobis ad justitiam sola sufficit fides, quoniam in lege nemo justificatur.* 7. est Chrysostomus Hom. de fide & lege: sic scribens: *fidelem absque operibus possum monstrare, & vixisse, & regnum Cale-*

rum affecurum, nullus sine fide vitam habuit; latro autem credidit duntaxat, & justificatus est à misericordissimo DEO. Atq; hic nē dixeris mihi, defuisse ei tempus, quo justē viveret, & honesta faceret opēra, neque enim de hoc contenderim ego, sed illud unum asseveraverim quod sola fides per se saluum fecerit. 8. est Leo qui in epist. 7. habet: sola fides Catholicorum vivificat & sanctificat. 9. denique est D. Augustinus L. 1. contra duas epist. Pelagian. ita scribens, quantalibet fuisse virtutis antiquos predices justos, non eos salvos fecit, nisi fides Mediatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit. Idem in Plal. 88. quā sola fides Christi mundat: non credentes in Christum soluti sunt à mundatione. & L. de spirit. & Litt. c. 13. non justificatur homo preceptis bonæ vitæ, nisi per fidem JESU Christi; hoc est, non lege operum, sed lege fidei, non literâ, sed spiritu, non factorum meritis, sed gratiæ gratiâ. atque sic arbitrantur Adversarij propugnacula sua non solum militibus; sed etiam tormentis ac armis efficacibus, scilicet rationibus, quæ in allatistextibus indicantur, esse abunde instructa.

IX. Errorem istum S. Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 6. & 9. jure meritissimo rejicit, & damnat; licet jam olim, ut diximus; fuerit damnatus; quia stant contra ipsum alia loca S. Scripturæ; quæ disertè negant, solam fidem sine operibus sufficere ad salutem & justitiam Math. 7. v. 21. non omnis, qui mihi dicit Domine Domine, intrabit in regnum Cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, intrabit in regnum Cælorum. q. d. non omnis, qui credit, intrabit in regnum cælorum, quia dicere Domine Domine est actus fidei juxta Apost. 1. ad Corinth. 12. v. 3. nemo potest dicere Dominus JESUS nisi in spiritu. Item Math. 25. v. 17. discedite à me maledicti in ignem æternum, qui parati estis diabolo & angelis ejus; esurivi enim & non dedistis manducare, quæ sententia in extremo judicio proferetur contra credentes; sed nihil boni facientes, quia contra infideles non instituitur tale examen, cum Christus Joannis 3. v. 18. dixerit, qui non credit, jam judicatus est. 1. ad Corinth. 13. v. 2. si habuerō omnem fidem; ita ut montes transferam, charitatem autem non habuerō nihil sum. 2. ad Corinth. 14. v. 7. quod in præsentem est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. ad Corinth. 5. v. 10. omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi; ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum. Si ergo malè gessit, sola fides eum non justificabit, nec juvabit. Jacobi 2. v. 14. Quid proderit frater mei, si fidem quæ habere dicat, opera autem non habeat, nihilquid fides eum salvare poterit? & v. 24. ex operibus justificatur homo; & non ex fide tantum; & v. 26. sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est. Apocal. 2. v. 13. Dabo unicuique juxta opera sua. Et ibid. c. 22. v. 12. Ecce merces mea mecum est, dare unicuique secundum opera sua. Adhæc ex eodem errore plura absurda sequuntur. Nam 1. non erit necessarius baptisumus contra expressam sententiam Christi Joan. 3. v. 5. nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu Sancto &c. 2. non erit necessarium ignoscere proximo, qui nos offendit; reclamante Christo Matth. 6. v. 14. Si non dimiseritis hominibus; nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. 3. non erit necessaria mandatorum observatio, quidquid dicat Christus Marth. 19. v. 17. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. 4. non erit necessaria externa fidei pro-

fessio, quam Apostolus requirit. Ad Rom. 10. v. 10. Corde creditur ad justitiam: ore autem fit confessio ad salutem. 5. non erit necessaria carnis mortificatio, quam toties inculcat Apostolus ad Rom. 8. v. 13. Si secundum carnem vixeritis moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. 6. non erit necessaria dilectio proximi contra S. Joannem epist. 1. c. 2. v. 11. Qui fratrem suum odit, in tenebris est; & in tenebris ambulat, & nescit quod eat. & c. 3. v. 15. qui non diligit, manet in morte. 7. Denique ut alia taceam de quovis flagitiosissimo homine v.g. homicida; adultero; meretrice; saga &c. dicendum erit: hic est Sanctus vir: hæc est sancta mulier; quia credit in Christum; quidquid dicat Apostol. ad Gal. 1. v. 21. qui talia agunt, regnum DEI non consequentur.

X. Quid ad hæc hæretici? Duo habent effugia. primum est epist. S. Jacobi non esse Canonicam; cum olim Patres nonnulli de illius autoritate dubitaverint. Sed mirum est, quod in hac re tanti faciunt quorundam Patrum auctoritatem, quos alias tanquam homines mendaces nihili pendunt. Deinde illa dubitatio Patrum non fuit diuturna, sed tantum usque ad Concilium Carthaginense; ubi determinatus fuit numerus librorum Canonicorum, & inter eos Epistola D. Jacobi, cui decreto omnes Patres humiliter se submiserunt, ut videre est apud Bellarm. L. 1. de verbo Dei c. 18. §. 47. circa finem. Alterum, qui mihi dicit Domine Domine, intrabit in regnum Cælorum, non tamen, ut causas justitiæ, sed ut signa veræ fidei, quia ubi desunt opera, ibi non est vera fides. Ita molliores hodie passim Lutherani & Calvinistæ illudunt plebi, quam alioquin trahere ad se consueverunt concessâ carnis licentiâ, quod certò salvandi sint; quidquid alias faciant: jam verò negant, eos habere veram fidem, qui malè vivunt. quomodo hæc duo cohererent? Deinde Sac. Litteræ loc. cit. salutem ascribunt bonis operibus non tantum; ut signis fidei, sed ut causis operantibus salutem. 2. Corinth. 4. Et tanquam mercedi. Apoc. 22. cit. Eadem Sac. Scriptura passim non minus aliarum virtutum actibus tribuit vim justificandi & remittendi peccata, quam fidei. Luca 7. v. 47. remittuntur ei peccata, multa quoniam dilexit multum. Hic quaero, quare Magdalene remissa sint peccata multa? an quod multum crediderit? non negaverim; sed tamen Christus respondit, quia dilexit multum. Apparet ergo, etiam dilectioni tribui, quod Sectarij soli fidei ascribendum contendunt: Ergo non sola fides justificat, sed aliarum etiam virtutum actus idem; quod fides, præstare solent.

XI. Porro ad Propugnaculâ Adversariorum diruendâ; omnesque machinas eorum dissolvendas diligenter advertendum; quæ mens fuerit D. Pauli in epist. ad Rom. & Galat. de fide loquentis, ex cujus verbis omnis fere difficultas hic exsurgit: Cum igitur Apostolus Gentiles æque ac Judæos lucrari Christo laboraret, Hebræi parum illum curarunt lege suâ cæremoniâ gloriantes; quæ à Deo ipsis potissimum fuerat data, atque eam obrem Gentiles ad Christum conversos contempserunt: Vicissim Gentiles eidem Apostolo insultarunt, tanquam mundi sapientes, qui ex lumine Naturæ bonum agnoscebant & faciebant; atque se idcirco justos ex se ac viribus suis reputarunt. Utrisque hisce opponit se D. Paulus affirmans neque opera cæremoniâ Legis Mosaicæ, qualia

qualia sunt circumcidere se, mundare se per re-
peritas sapienter lotiones, Sacrificia offerre pro pec-
catis &c. neque opera bona moralia Gentilium
iustificare hominem, sed necessariam esse ad Justifi-
cationem Fidem in Christum; cum etiam Ab-
raham aliique Patriarchæ Deo placuerint, & ju-
stificati fuerint per fidem in Christum; siquidem
in nullo alio invenire est salutem, quàm in Chri-
sto: *nec enim aliud Nomen est sub Cælo hominibus da-
tum, in quò nos salvos fieri oporteat*, ut clarè asserit S.
Petrus Act. 4. v. 12. Ex quo apparet, duas esse
Justitias; unam operum; alteram fidei, inter quas
hæc est differentia, quod justitia operum obtineat-
ur per vires naturales & exteriorem observantiam
Legis Mosaicæ: at verò justitia fidei in Christum,
proveniat ex fide in Christum & gratia Dei. Ambas
istas justitias indicat Apost. ad Rom. 10. v. 3. affir-
mans de Judæis & Gentilibus: *ignorantes enim justitiam
Dei, & suam querentes statere, justitia Dei non sunt subje-
cti*. Videantur DD. à Walenburch Tom 2. fol. 484.

XII. Præclare etiam observat D. Augustin. L.
1. de bonis operibus c. 4. S. Jacobum Apostolum
cum timeret, ne forsitan aliquis ex epist. & doctri-
na D. Pauli hallucinatus arbitraretur, solam fidem
iustificare, scripsisse epistolam suam in eum finem
ac scopum, ut clarissimè omnibus constaret ad ju-
stificationem opera requiri. Quando igitur D. Paulus
negat, opera iustificare, intelligit opera Leg-
is Mosaicæ & virium naturalium; hoc est, quæ
sunt per legem Mosaicam aut vires naturæ absque
fide & gratia Christi: vicissim verò quando S. Ja-
cobus affirmat ad justificationem requiri opera,
loquitur de operibus Fidei & Gratia Christi, sive
quæ sunt ex fide in Christum & gratia Dei. Hoc
ipsum indicat Augustinus L. 83. Quæst. q. 76.
*agens: Paulus loquitur de operibus, quæ fidem antecedi-
unt: Jacobus verò de operibus, quæ fidem sequuntur.*
Unde evidenter patet, pessimè hinc inferri ab hæ-
reticis, solam fidem iustificare. Nam quamvis A-
postolus & Judæorum & Gentilium opera rei-
ciat, non tamen idcirco à justificatione universim
omnia omnino opera arceat, sed tantum & specia-
liter opera cæremonialia Legis & Naturæ, quæ
absque fide in Christum sunt, & de quibus Ju-
dæi & Gentiles vanè gloriabantur; præter ista au-
tem sunt adhuc alia opera, quæ ex fide sequun-
tur, atque istam fidem qualificant, & vivam con-
stituunt, quæ idcirco non sunt neganda, sed ne-
cessariò requiruntur.

XIII. Nunc Propugnacula hæreticorum demo-
lienda aggrediamur. Ad 1. quod attinet. Respon-
d. 1. inanem esse hanc illationem: in quibusdam
Sac. Scripturæ locis, ubi de justificatione agitur,
nulla fit mentio aliorum operum, sed tantum fidei.
Ergo sola fides sufficit ad justificationem. Ne-
gamus consequentiam; quia in alijs locis fit cla-
ra mentio aliorum operum; neque Deus uno lo-
co dicit omnia, sed oportet totam scripturam le-
gere, & quod uno loco omissum est, ex alijs sup-
plere. Hæc ergo regulâ generali ad explicationem
singulorum locorum suppositâ. In primo loco S. Lu-
cæ 7. non agitur de salute animæ, sed corporis;
ideo nihil facit ad rem, non enim sequitur: ad mi-
raculosam corporis curationem sola fides sufficit.
Ergo & sufficit ad salutem animæ. Sed esto, agi etiâ
de salute animæ; fides illa Christo exhibita contri-
tioni & charitati fuit conjuncta, ut bene advertit
Tirinus agens, S. Augustinum & Tridentinum in-
de colligere, non remitti peccata fide nudâ & ste-

rili, sed eâ, quæ per charitatem operatur. In 2.
secundo Marci 16. distinguimus; si crediderit fide
perfectâ; quæ non solum credit, vera esse Christi
documenta, sed etiam practicè adhibitis medijs
exequatür, concedimus; Fide solum speculati-
vâ negamus. In tertio loco Joan. itidem distingi-
mus; qui credit fide practica, & media per fidem
ostensa adhibet, concedimus: aliàs negamus. Eo-
dem modo cæteri loci limitandi sunt de fide pra-
cticâ, & fide conjunctâ vitæ juxta ejusdem fidei
præscriptum instituræ.

XIV Ad 2. Respondetur 1. Promissiones fidei
factas cum conditione tacitâ intelligendas esse,
nimirum, si credens illa media salutis exerceat,
quæ fides demonstrat; qualem conditionem sal-
tem perseverantia, nec ipsi hæretici negare pos-
sunt; quid enim, si quis heret Turca; num salva-
retur propter præcedentem fidem, in quâ fuit bap-
tizatus? utique non; quia requiritur perseveran-
tia. Math. 10. v. 22. *qui perseveraverit usque in finem,
hic salvus erit*. Resp. 2. Abstrahendo ab hæc
conditione subintellectâ, & promissiones abso-
lutè accipiendo, nomen fidei non sumendum pro
mortuâ, sed vivâ; dicitur autem fides viva, quæ
bonitate animata bonis operibus insistit: mor-
tua verò, quæ in solo intellectu consistens non
exit in opera bona; Sicuti ait D. Jacobus 2. v.
20. *fides sine operibus mortua est*; quomodo autem
fides mortua posset hominem vivificare? Sic ex-
plicatæ promissiones consentiunt cum alijs locis
Scripturæ experimentibus bona opera. Utraque
responso potest applicari singulari locis, ut opus
non sit, singillatim demonstrare.

XV. Ad 3. propugnaculum. Respond. citatis
locis non excludi interna bona opera in statu
gratiæ cum DEI auxilio perpetrata, sed tantum
externos ritus & cæremonias Legis Mosaicæ, in
quibus Judæi suam justitiam collocabant. Item
opera solius Naturæ viribus facta, ex quibus
Gentiles justos se reputabant. Contra utroque,
ut supra diximus, disputat Paulus; cum ostendit,
veram justitiam non consistere, nec in solis
Naturæ viribus, nec in exteris cæremonijs &c.
1. locus Luc. 8. nihil facit ad rem; quia non agit
de salute animæ, sed corporis. Ad hæc Christus
non fuit exhortatus patrem puellæ ad fidem
nudam & sterilem, sed conjunctâ vitæ ex fidei di-
rectione instituendæ, sicuti non solum intendit
corpus sanare, sed simul etiâ animam salvare. 2. ad
Rom. 3. duobus indiget limitationibus; una est, ut
per fidem non intelligatur solus assensus intellectus,
sed etiam voluntas fidei subiecta, & ejus præ-
scripta faciens: altera est, ut per opera legis non
intelligatur observatio mandatorum DEI, sed
externæ cæremoniæ Judaicæ: item opera meræ
Naturæ à Gentilibus facta. In 3. loco ad Rom. 4.
per eum, qui non operatur, intelligitur ille,
qui non operatur ex meris Naturæ viribus; item
qui non observat legem Mosaicam per Chri-
stum abolitam, sed credit vivâ fide & practica,
ut recens dictum. Ita D. August. & alij PP.
apud Vasq. in 1. 2. D. Thomæ. D. 210. c. 8. in
4. loco ad Galad. 2. per opera Legis rursus intelli-
guntur ritus Judaici, quasi diceret Apostolus:
ad quid urgeamus Gentiles ad Christum con-
versos, ut leges illas cæremoniales observent,
cum ex ipsis, utpote à Christo abolitis, homo
non justificetur. In 5. loco ad Ephes. 2. dicitur gra-
tis per Christum salvari, intelligendo de prima ju-
stificæ

Justificatione, quam opera non merentur condigne, sed tantum dispositivè, & non ex proprijs viribus, sed cum auxilio gratiæ actualis, ut pluribus supra fuit explicatum: *In 6. Denug.* ad Philip. 3. *justicia mea ex lege* intelligitur consistens in solis viribus Naturæ, aut in externis cæremonijs lotionum, abstinentiæ à certis edulijs &c. Dicere ergo vult. D. Paulus: inveniar justus; & non justitiâ meâ, hoc est, ex meis viribus Naturæ, aut ex lege, id est solius legis doctrina absque fide in Christum & gratia DEI: sed inveniar justus justitiâ Christianâ, quæ fundatur in fide Christi, & est ex DEO sive divina hujus gratia; ita iterum D. August. Tom. 10. serm. 15. de verbis Apostoli.

XVI. Dicunt Adversarij, D. Paulum non solum loqui de operibus Naturæ et legis Mosaicæ, sed de lege universim, adeoque etiam de moralis. Respond. Apostolum ad Rom. loqui quidem subinde de operibus in communi, ut apparet ex c. 3. v. 20. ubi ait, *per legem cognitio peccati*. Et ex c. 2. v. 13. ubi dicit, *non auditores legis justos esse apud Deum, sed factores legis justificatum iri &c.* Nihilominus quando docet, nos justificari sine operibus legis, intelligi potissimum opera cæremonialia (quantumvis etiam operibus Naturæ justificationem neget.) cujusmodi opera legis sunt circumcidere se, offerre Sacrificium &c. quippe loquitur de lege oppositâ fidei in Christum, quæ non Decalogo aut Legi Naturæ, sed cæremoniali opponitur, quæ erat figura, sicuti fides est res ipsa figurata; quod ipsum clarius indicat Apostolus ad Gal. 5. v. 6. *In Christo JESU neq. circumcisio, neq. præputium aliquid valet, sed fides, que per charitatem operatur*. Et ad initium capituli istius valde serijs verbis: *state, & nolite iterum iugo servitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis, quomam si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit. Urgent Sectarij ad Rom. 3. v. 31. ait Apostolus: legem ergo destrumus per fidem? absit; sed legem statumus. Ergo cum lex veteris Testamenti sit antiquata per Christum; utique non statuitur per Paulum. Ergo Apostolus non de Lege cæremoniali veteris Testamenti, sed Morali agit. Non apertius Prædicantes prodere ignorantiam suam potuissent. Nesciant isti scioli, Apostolum occurrere hic objectioni Judæorum, contra superius dicta in hunc modum? Tu Paule justificationem Legi Veteri negas, & istam Fidei attribuis, atque sic per fidem destruis Legem. Ad quod Paulus respondens ait: absit hoc à nobis procul; imò legem statumus. Nam lex statuitur ac firmatur, dum res ab ea indicatæ ac promissæ per Evangelium (quod Apostolus hic appellat fidem.) fuerunt impletæ; id quod factum est per Messiam, qui in novo Testamento implevit illas, & per hanc impletionem stabilivit & roboravit omnia, quæ per verus Testamentum fuerunt præfigurata, ac per diversos modos prænuntiata. Utitur Apostolus græcâ voce *ισχυω* hoc est: statuo firmo, & eam opponit voci *καταργω*, hoc est, diruere, destruere, q. d. per Evangelium adeo legem veteris Testamenti non destruo diruo, ut illam potius stabilitam ac robarem; siquidem Evangelium est approbatio, confirmatio, & consummatio legis & Prophetarum. Dum autem lex cæremonialis ita fuit impleta, utiq; vim amplius non habet vel obligandi nos, vel ad justitiam promovendi. Rectè ergo dixit Paulus, quod legem cæremonialem sta-*

tuat, quantumvis simul ejus opera abiciat, utpote jam ad justificationem inutilia absque fide in Christum. Instant, Apostolus magnam Dei misericordiam ac benignitatem erga Judæos & Gentiles extollit, dum utrisque gratias, atque ex merâ suâ misericordiâ tam fidem, quam gratiam suam elargiri cupit tum ad primam justificationem, tum ad secundam seu augmentum gratiæ in prima justificatione acceptæ. Ergo indicare per hoc vult, hominem coram Deo absque ullo opere bono legis divinæ justificari. Respond. negando consequentiam, quæ tum alijs Sac. Scripturæ testimonijs, tum nominatim D. Paulo & Jacobo adversatur. Nam D. Paulus à justificatione sola opera cæremonialia & naturalia arceat: Jacobus verò sola opera ex fide & divina gratia requirit; hæc enim ad utramque justificationem exiguntur, nec in re, sed in modo solum est differentia. Nam in prima justificatione opera solum ad justificationem disponunt: in altera verò seu augmento gratiæ eadem sunt etiam meritoria, utpote ex fide & gratia provenientia. Atque hinc est, quod secunda æque ac prima justificatio dicatur gratis, & ex Dei dono fieri; quemadmodum enim gratis justificamur primò, ita etiam deinceps evadimus justiores, cum fidem & gratiam, vi quorum hæc opera bona exercentur, à Deo gratis acceperimus.

XVII. Demolitis ita propugnaculis, quæ hæretici ex varijs Scripturæ textibus sibi erexerunt, jam facile est ostendere, quàm iidem invitos SS. Patres ad se trahant, quasi instar militum fortissimorum pro novâ suâ doctrina starent, eamque propugnarent. Prius autem, quàm ad singulos respondeamus, pro omnibus in communi advertendum, vocem *sola* germanicè *Allein* in hac propositione *sola fides sufficit*, multa excludere posse; nimirum primò opera, quæ ex solo Naturæ lumine proveniunt. 2. opera, quæ ex solâ lege Mosaicâ absque fide & gratia Christi sunt. 3. opera, quæ ex gratia Christi & fide proficiuntur; quamdiu ergo hæretici non probant, omnia ista triplicis sortis opera à justificatione arceri, & hoc à Patribus doceri, incassum agunt, nihilque penitus evincunt. Jam ad singulos procedendo. *Origenes* in cap. 4. ad Rom. Tom. 3. fol. 163. ita scribit: *puto, quod prima salutis initia, & ipsa fundamenta fides est: profectus verò & augmenta edificij spes est: perfectio autem & culmen totius edificij charitas; & ideo major omnium dicitur charitas*. Ecce antiquus iste Pater tria recenset velut necessaria ad ædificium Spiritualis, & justificati hominis, scilicet fidem spem & charitatem, fieri ne igitur potest, ut sentiat solam fidem sufficere? cum etiam opera requiratur, tum in isto, tum in alijs locis, nominatim in canticis homil. 1. ubi hæc habet: *dupliciter constat salus credentium, per agnitionem fidei, & operum perfectionem*. Quando igitur *Origenes* in c. 3. ad Rom. de justificatione latronis agens excludit opera, solum intelligit opera Mosaicâ & Naturalia, quod haud obscure patet ex c. 4. ad Rom. Tom. 3. & fol. cit. ubi ait: *latronem legem antiquam neque in suâ crucifixione, neque postea observasse; unde ex sententia ejusdem minimè conjici potest, latronem etiam opera fidei, spei & charitatis non exercuisse; imò aperte affirmat, latronem fuisse justificatum propter testimonium publicum Christo DEI filio redditum. D. Hilarius etiam per particulam *sola* non nisi legem Moysis, de qua loque-*

barur, excludit, ideoque dixit, lex non justificat, sed sola fides. Quomodo alias cap. 7. in Matthæum dicere posset: *Salus Gentium omnis in fide est: & præceptis Domini vita universorum*; quæ verba vafre tacent Sectarij. S. Basilius excludit quoque per vocem sola opera, quæ sunt sine fide & gratia Dei, ut pluribus ostendit Bellarm. L. 1. de Justif. c. 25. & hanc mentem suam satis declarat in Serm. de fide, ubi postquam docuit necessitatem fidei, adjungit etiam necessitatem charitatis, idque probat, tum ex Apost. 1. ad Corinth. 13. tum ex ipso Domino, qui Joannis 15. non ex fide, sed ex charitate discipulos suos cognoscendos esse prædixit. S. Gregorius Nazianzenus itidem nobis non ad-versatur. Nam credere in Christum, inchoata justitia est; quia fides est initium salutis; quemadmodum etiam Theophilactus in c. 3. ad Gall. dixit: *fides sola habet in se justificandi virtutem*. Quamvis autem fides sit dispositio & præparatio ad justificationem, adeoque inchoata justitia, attamen post factam justificationem non est otiosa, sed exercet se continuò, donec ad claram Dei visionem in cælo perveniat. Aut certè uterque Theophilactus & Nazianzenus locuti fuerunt de fide perfecta ac formata. Nam Nazianzenus valde urget opera una cum fide. Orat. 40. de baptismo scribens: *super hoc dogmatum fundamento bona opera exstrue; quandoquidem fides sine operibus mortua est, quemadmodum & opera, si fides absit.*

XVIII. D. Ambrosius (si tamen is est Author commentariorum in Paulum) per vocem *sola* non excludit nisi opera cæremonialia Legis Veteris. Nam idem Pater sic loquitur ad 4. cap. ad Hebr. *magna res est fides & salutaris, & sine hac non est salvari possibile; sed sola fides non sufficit, operari fidem per dilectionem, necessarium est, & conversari dignè DEO.* Idem L. 7. in c. 14. Luca sic scribit: *nec hoc tamen plenum est, ut aliquis vocatus adveniat, nisi vestem habeat nuptialem, hoc est, fidem habeat & charitatem.* S. Hieronymus haud aliud hic dicit, quàm quod in c. 3. ad Ephesios; per *sola* scilicet fidem in Christum dari nobis accessum ad Deum, quoniam fides est origo & initium justitiæ, sine operibus legis cæremonialis, quæ per legem in Christo evacuata sunt. Hanc ipsam suam sententiam planius aperit in c. 4. Oleæ his verbis: *per dulces sermones decipiant infelices; cum enim viderint aliquos delinquentes, ajunt, nihil aliud quarit Deus, nisi fidei veritatem.* Idem L. 1. in Jovinianum sic ait: *circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed observatio mandatorum DEI, cum etiam fides, quæ propriè Christianorum est, si opera non habuerit, mortua esse dicatur.* Antiquos hæreticos, quos Hieronymus refutat, imitantur nostri Sectarij, justificationem dulcibus, sed fallacibus verbis per *sola* fidem promittentes. D. Chrysostomus aliud non dicit, quàm *sola* fidem sine opere externo interdum ad salutem sufficere: opus verò externum sine internâ fide nunquam sufficere; ita si infans, si adultus post baptismum statim moriantur, salvi erunt, etiam si alia externa opera non faciant. Cæterum Chrysostomus clarissimè pro nostra doctrina se explicat hom. seu Serm. 11. in epist. ad Philippen. ubi circa medium hæc habet: *vides, quod non simpliciter oporteat fidem habere, sed qua sit per opera? nam iste potissimum credit, Christum resurrexisse, qui sui nullam habet rationem, periculis se ipsum tradens, illic in passionibus communicans.* D. Leo Pontifex eò pronuntiatò discernit Catholicorum fidem in ge-

nere ab hæreticorum fide, in quâ nec Sanctitas, nec spes salutis promittitur; perinde ut S. Athanasius dixit in symbolo: *quam nisi quisq. firmiter fideliterque crediderit, salvus esse non poterit &c.* Denique S. August. aliud non docet, ut sæpe jam hæreticis fuit responsum, quàm neminem sine fide in Christum saluari; proinde antiquos Justos neque per legem Naturæ, neque per Legem Moysis, sed per ipsam fidem Christi esse salvatos. Idem Pater ubique fidem vivam urget, quæ per charitatem operatur. Unde Tract. 87. in Joan. *charitas ergo, inquit, est fructus noster, quam defuit Apostolus de corde puro & conscientia bona & fide non fictâ, hæc diligimus invicem, hæc diligimus Deum.* Et infra. *quis bene gaudet, qui bonum non diligit, unde gaudet? quis salubriter fidelis, nisi eâ fide, quæ per dilectionem operatur?* Adducunt hæretici nominatim Hailbrunner pag. 19. sui novi Papatus Georgium Cassandrum præstantem, ut ajunt Theologum Pontificium. Sed planè anferem adducere odoribus. Nam bilinguis Cassander minimè fuit Theologus Pontificius, sed Lutheræ ejulque esfrænæ hæresi magis, quàm Papæ ac bonis operibus addictus.

XIX. *Ex hæcenus dictis clarissime apparet.* Tam S. Scripturam, quàm Patres alienissimos esse à justificatione hæreticorum per *sola* fidem. Quando igitur ex his Patribus & Doctoribus unus vel alter justificationem soli fidei adscribit, mens illorum non est, *sola* fidem sufficere, quantumvis operibus nudam, sed dum justificationis fundamentum & radicem nominant, apprehendunt simul in ea cætera requisita Spem scilicet, Charitatem, Penitentiam &c. Aut *sola* arcet à Justificatione opera Legis Mosaicæ & Naturæ sine fide Christi & Gratia ejuldem, ut conformiter D. Paulo & Judæos & Gentiles sic compendit. Aut etiam excludit omnes falsas sectas, uti solemus dicere, *sola* fidem Catholicam salvare, non quod Beatitudinem afferat sine charitate, sed quod *sola* fides catholica salvet, non Ariana, non Lutherana, non alia quæcumque; attamen cætera, quæ ad fidem necessaria sunt, minimè arcet.

XX. Dicunt sectarij & nominatim Meno Hanneken in suo Irenico fol. 46. falsum esse à Patribus adductis ea *sola* opera excludi à justificatione, quæ fidem præcedunt; tum quia loquuntur de operibus Legis in communi, tum quia testantur de peccatrice Luc. 7. etiam bona opera post fidem & justificationem facta ab opere justificationis & salutis fuisse exclusa. Respond. negando Antecedens; aut proferant Adversarij vel unum ex omnibus Patribus ac Doctoribus Pontificijs, qui hoc clarè affirmit: Ad 1. negamus, illos loqui de lege in communi. Nam Patres & Doctores insunt S. Paulo, de quo supra diximus, non loqui illum de lege in communi, quando de justificatione contra Judæos & Gentiles disputat. Ad 2. negamus iterum, testari Patres in justificatione mulieris peccatricis arceri bona opera, & *sola* fidem habere locum. Audiamus S. Ambrosium à quò utique sinent se instrui Adversarij. Iste Lib. de Isaac & Anima Tom. 4. p. 224. hæc habet: *anima nostra induat charitatem & charitate hujusmodi, qua sit valida ut mors quia sicut mors: finis peccatorum est, ita & charitas; quoniam, qui diligit Dominum, peccare desinit.* Et paulò post; *est & mors illa (charitas) valida ad lavacrum, per quod peccatum omne sepelitur & culpa*

Et culpa dimittitur, talis erat charitas, quam desiderabat mulier illa; de qua Dominus ait: dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Advertant Sectarij, quid iste; S. Pater hic doceat, nempe primò. Evangelicam illam fœminam peccatricem attulisse secum charitatem. Secundò. ad charitatem secutam fuisse peccatorum Veniam, tertio peccata remissa fuisse propter charitatem. Ergo prædicta fœmina fuit justificata per amorem. Ergo non sola fides justificat. Ergo alia opera præter fidem à justificatione non excluduntur. In eundem modum scribit alij Patres, qui etiam apud Bellarminum videri possunt.

XXI Istant, Patres loqui etiam de operibus, quæ Abraham aliquot annis post suam conversionem exercuit, quo tempore utriusque fuit fidelis & justus per fidem. Respond. verum esse, quod Abraham pridem ante fuerit justus; quippe fuit primò justificatus, cum è patrio solo egressus promissis DEI credidit fide non nudâ, sed operibus spei, obedientiæ, & charitatis vestitâ. Ex hoc autem, quod jam ante fuerit justus, aliud non inferitur, quàm quod D. Paulus, ut probaret, nullum justificari per mera naturalia, aut ceremonialia opera sine fide; aut gratia Christi, arguat à majore ad minus in hunc modum. Si Abraham, quantumvis antea jam justus per usum liberi arbitrii, sive merè naturalibus aut ceremonialibus operibus cum augmento justitiæ non fuit justificatus, multò minus peccatores per illa justificabuntur cum acquisitione primæ justificantis gratiæ. Antecedens est verum, & probatur ab Apost. ex cap. 15. Genes. Ergo & Consequens verum est. Quapropter loquitur quidem Paulus de Abrahamo jam justificato: & negat, illum accepisse augmentum justitiæ ex operibus, verum agit solum de Ceremonialibus, aut ex viribus solius Naturæ factis operibus sine fide & gratia Christi; unde loquitur solum conditionatè seu hypotheticè ad Rom. 4. v. 3. ajens: *Abraham credidit DEO, & reputatum est illi ad justitiam.* Atque hic fuit principalis scopus totius epistolæ ad Rom. & Gal. & semper atque constanter Apostolus justificationem per meritum operum opposuit justificationem per fidem & gratiam Christi, estque unum idemque apud illum justificari per merita operum: ac justificari per opera Naturæ aut Legis Mosaicæ sine fide & gratia Christi; juxta quem sensum rectè dicitur per opera nos non justificari, sive loquamur de prima justificatione, de qua præcipuè agit Paulus, sive de secunda, de quâ Paulus per exemplum Abrahami ad Rom. 4. cit. ad primam justificationem de majore ad minus argumentatur. Fides autem illa reputata est ad justitiam, quâ Abraham reverâ justificatus fuit; DEUS enim nemini imputat justitiam, nec ullum reputat justum, nisi ipsâ talis sit, vel talis fiat, cum judicium DEI sit secundum veritatem Rom. 2. v. 2. Videantur Cornelius à Lapide & Tirinus in cit. locum ad Rom. Item DD. de Walenburch Tom. 4. fol. 487. Coferens de Justificatione &c.

XXII. *Apparet 2.* quid sit apud Apostolum ad Rom. 3. v. 27. *Lex Factorum: & Lex Fidei.* Nam S. Paulus Legem Factorum vocat Legem veterem, quæ multa facienda præscribat, sed gratiam, quâ sola potest homo illa omnia implere, & ad veram justitiam devenire, non concedebat. Legem Fidei autem appellat novam legem Christi & Evangelium; quæ & jubet, & simul gratiam affert, quâ, quæcunque præcipiuntur, faciliè exe-

quamur. Ita S. Augustinus Lib. de Spirit. & Lit. c. 13. & alij P. P. Unde per Legem Fidei nunquam aret Apostolus opera ex fide & gratia Christi facta, quæsi hæc non sint utilia aut necessaria ad justitiam aquirendam, augendam, faciendam &c. uti fingunt hæretici, sed sola opera Legis antiquæ facta sine fide & gratia Christi, ut constat ex toto contextu Epistolæ.

XXIII. *Apparet 3.* quid intersit inter *Justitiam Legis: & Justitiam in Lege.* Nam Justitia Legis sunt opera justa, quæ lex facienda præscribit: Justitia ex lege, sive in lege sunt illa opera, quæ homines faciunt sine gratia fidei, solâ cognitione legis adjuti. Priorem justitiam Apostolus nunquam rejicit tanquam inutilem; quomodo enim aliàs ad Rom. 2. v. 13. dixisset, *factores legis justificatum iri.* At bene posteriorem veluti inutilem rejicit, & opponit justitiæ fidei, hoc est, operibus bonis, quæ fiunt ex gratia & fide in Christum.

XXIV. *Apparet 4.* quid intelligat Apostolus per Opera, cum ait ad Rom. 3. v. 28. *hominem sine operibus justificari;* nempe intelligit observantiam Legalium ceremoniarum Circumcisionis, Sabbati, Nèomaniarum &c. Item Opera, quæ fidei præcedunt, quæque solis liberi arbitrii viribus fiunt; hæc enim vel maximè fidei opponuntur, & à justificatione excluduntur. Videri potest Bellarm. L. 1. de Justif. c. 19.

XXV. *Apparet 5.* quomodo ab Apostolo ad Rom. 3. v. 24. dicamur *justificati gratis per gratiam Christi.* Nam justificatio dicitur gratuita; non quod solâ fide fiat, ut sibi malè imaginantur hæretici, sed quod non mereamur illam per illa opera, sive ipsius fidei, sive quæ fidei præcedunt, ut constat ex Trident. Sess. 6. c. 8.

XXVI. *Apparet denique clarissimè 6.* quàm immane crimen falsi commiserit Lutherus, dum in suis Biblijs Germanicis illud ad Rom. 3. v. 28. *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis,* ita vertit Germanicè: *Allein durch den Glauben / dolose intrudens vocem: solam,* quam Apostolus non habet. Conantur Prædicantes hanc fraudem Lutheri varijs coloribus oblinire, ut videre est apud Gerhard. L. 2. P. 3. fol. 666. Menonem Hanneken in Irenico suo fol. 36. & alios. Dicunt igitur primò in re idem esse, fidem sine operibus, & fidem solam; Lutherum non verba, sed sensum spectasse. Sed hæc excusatio falsum assumit, esse scilicet eundem sensum harum propositionum; *fides sine operibus.* Et: *sola fides justificat;* prior non excludit omnia simpliciter opera bona, sed tantum ceremonias Legis Mosaicæ: posterior verò excludit omnia. Dicunt secundò. licet Apostolus non addiderit hoc loco vocem *sola,* tamen alijs locis expressit, scilicet ad Gal. 2. v. 16. *non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem.* ubi particula *nisi* idem significat, quod *solum, tantum,* vel Catholicorum judicio, ut videre est in horum Biblijs tam Germanicis per Joannem Dietenberger versis, quàm Italicis Venetijs impressis. Hæc quoque excusatio non juvat; quia non est idem sensus harum propositionum; *homo justificatur per solam fidem.* Et: *homo non justificatur nisi per fidem;* posterior enim significat, nunquam sine fide obtineri justitiam, quamvis alia plura requirantur: prior autem significat, nihil aliud præter fidem esse necessarium, quæ sunt longè diversa; quemadmodum si dicerem, mare non potest transiri, nisi tantum navibus, non vellem dicere, solas naves sufficere

sufficere sine ventis, remis, nautis: sed sine navibus transiri non posse, nec curribus, nec equis, nec natatione &c. Dicunt *tertio*, etiam si nunquam in textu inveniretur particula *sola*, potuisse tamen explicationis gratiâ adjungi ab interprete, id quod exemplis Latinorum & Græcorum Interpretum ostendunt. Nec tertia ista excusatio sublevat. Tum quia quando Græci & Latini Interpretes textui hebraico addiderunt vocem *sola*, non est immutatus sensus, nec aliquis inde error nasci potuit, sicut ex hac additione Lutheri circa justificationem per solam fidem gravis error emerfit. Tum quia veteres illi Interpretes habuerunt textum hebraicum emendatorem, quam nunc sit, & forte in illo reperunt vocem *sola*. Dicunt *quarto*, Confluentiâ in Collegio PP. Societatis JESU extare antiqua Biblia, in quibus hæc vox *sola* reperitur ad locum Apostoli ad Roman. 3. v. 28. cit. Sed se & nos fallunt. Nam testatur Nicolaus Schaten in Lib. cujus tit. Carolus M. fol. 533. se excussisse istuc omnes Bibliorum Codices, & in nullo textu reperisse hanc vocem *sola*. Quare primi & solius Hæresiarum Lutheri est hoc additamentum sacrilegum & immane crimen falsi, quo hæresis suâ principio intendit in Ecclesia suisque deique vertere omnia. Certè nihil isto ad omnem vitæ licentiam, dissolutionemque Christianæ disciplinæ perniciosius ipse diabolus excogitare potuisset; ut rectè prædictum istud principium non tam fascinum dementiæ, quam mysterium iniquitatis dixeris.

CONTROVERS. LIV.

DE CAUSIS JUSTIFICATIONIS.

A Dispositionibus progredimur ad Causas Justificationis. De quibus Scholastici aliquas subriles movent quæstiones, in quibus missis ea solum, quæ fori nostri sunt, tractabimus. Videri potest Disputatio mea theologica de Justificatione Impij Friburgi Brisgoiæ 1659. impressa.

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima.* Causa Formalis Justificationis nostræ est Gratia Sanctificans, quæ est Justitia DEI, non quæ ipse DEUS justus est, sed quæ nos justos facit. Ita definit Trident. Sess. 6. c. 7. his verbis: *unica causa formalis est justitia DEI, non quæ ipse justus est, sed quæ nos justos facit, quæ videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed verè justii nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes &c.* Cæterum quomodo se habeat ista gratia Sanctificans, diximus supra Contr. LI.

II. *Doctrina secunda.* Causa Finalis ejusdem Justificationis nostræ est inprimis gloria DEI: deinde gloria Christi: demum suprema nostra beatitudo. Prima pars constat ex illo Prov. 16.

v. 4. *omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* Altera ex illo Coloss. 1. v. 15. ubi Christus vocatur Primogenitus omnis creaturæ. *Quoniam in ipso condita sunt universa in cælis & in terra, sive visibilia sive invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus sive potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes (scilicet secundum DEI intentionem.) omnia in ipso constant, & ipse est Caput Corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens, nempe ut ipsorum Finis.* Tertia pars patet ex illo Rom. 6. v. 22. *Nunc verò liberati à peccato (hoc est per gratiam sanctificantem,) servituti autem facti DEO habetis fructum vestrum in sanctificationem; finem verò (vestræ Sanctificationis,) vitam æternam.* Triplex hoc membrum definit etiam Trident. Concilium apertis verbis loc cit.

III. *Doctrina tertia.* Causa Justificationis Efficiens principalis est Deus: Moralis verò seu meritorea ejusdè nostræ justificationis est Christus. Ita itidem expressè definit Trident. loco recens allegato. Et universim de omnibus gratiæ donis traditur Ephes. 1. v. 3. *Benedixit nos in omni benedictione, spirituali in cælestibus, in Christo &c. in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus.*

IV. *Doctrina quarta.* Causa Efficiens principalis gratiæ justificantis est solus DEUS. Ita cum S. Thoma q. 112. a. 1. communiter Theologi. Probat 1. ex Scriptura, quæ justificationem per gratiam fieri solitam uni DEO attribuit. Job 14. v. 4. *quis poterit facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu, qui solus es?* & ad Rom. 8. v. 33. *DEUS qui justificat &c.* Probat 2. ex Tridentino, quod quocumque loquitur de ea gratia sanctificante, semper injunvat, *eam à DEO produci, infundi;* quod haud dubiè non solum denotat causalitatem generalem, quam DEUS habet in omnes alias res, sed & proprium DEI influxum in eam gratiam. Probat 3. ratione; quia non debemus vim productivam tam præstantis entitatis tribuere ulli rei create sine fundamento, quale in præsentem nullum est respectu gratiæ; maxime cum producere in altero formam, quæ exitat amicitiam, solum ad illum spectare videatur, qui in amicitiam acceptat.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

V. *Error primus.* Fidem justificantem differre à fide Historica & Miraculorum. Ita Gerhard. L. 1. P. 3. à fol. 591. Meno Hanneken in suo Irenico à fol. 11. & communiter alij Sectarij, distinguentes, ut supra jam vidimus, triplicem Fidem; unam Historicam, quæ credimus, vera esse, quæ narratur in Scripturis: Alteram, quæ credimus, nihil esse, quod à DEO fieri non possit: Tertiã Promissionum, quæ credimus veras esse promissiones DEI, de gratuita peccatorum remissione per merita Christi. Addunt, nos nec primã nec secundã, sed solum tertiã justificari, quam iterum subdividunt in generalem, quæ generatim credimus, promissam esse remissionem peccatorum, aut singularem benevolentiam

tiam ijs omnibus, qui in Christum credunt: alteram specialem, quâ unusquisque in particulari promissione sibi applicat, credendo, omnia peccata sibi remissa esse, aut Deum erga se peculiariter benevolam extitisse; atque hanc specialem Fidem ajunt esse illam, quâ propriè justificamur.

VI. Errorem hunc expressè rejicit S. Script. ad Ephes. 4. v. 5. affirmans, unus Dominus, una Fides, unum Baptisma. Unde de hac triplici fide sic pronuntiavit Maldonatus in c. 9. Matth. *ista triplex fides, quam isti nuper invenerunt, figmentum est, somnium est, portentum est, chymera est. Si unam haberent fidem, omnem haberent, quia triplicem habent, nullam habent.* rectissime. Tum quia fides illa specialis absque ullo fundamento fingitur, ut mox videbimus. Tum quia falsum est, fidem miraculorum non justificare. Certè fides illa, de qua loquitur Christus Marci 16. v. 16. *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit,* fides justificans est, & tamen est fides miraculorum, ut patet ex verbis sequentibus: *signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo demonia ejicient &c.* Tum quia falsum quoque est, fidem historicam non justificare; an non fides historica est, Christum esse crucifixum, mortuum, sepulchrum, descendisse ad inferos, resurrexisse à mortuis, & ad Cælos ascendisse? nemo dubitat; & tamen eadem illa fides justificans est, ut patet ex Symbolo fidei, & ex Script. ad Rom. 10. v. 9. *si in corde tuo credideris, quod DEUS illum suscitavit à mortuis, salvus eris.* 1. ad Corinth. 15. v. 1. *notum facio vobis Evangelium, per quod salvamini, quoniam Christus mortuus est pro peccatis, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die &c.*

VII. Error secundus. Causa Formalis justificans peccatores est Justitia Christi, quam velut manu apprehendimus per fidem specialem, credendo per merita Christi, remissa nobis esse peccata, & sic efficiendo, ut justitia Christi gratuita nobis imputeretur, & velut nostra reputetur hos justificans. Ita quoad rem Lutherani apud Gerhard. L. 2. P. 3. fol. 509. & Calvinistæ apud Amesium Tom. 4. à fol. 131. quamvis quoad modum explicandi differant; quod Lutherani illam fidem specialem constituent in quadam Fiducia, quæ est actus voluntaris: Calvinistæ verò ponant in quadam firmâ & certa cognitione divinae erga nos Benevolentiae gratuita. Priores explicant similitudine manus. Nam, ut ait Melancthon. in loc. com. tit. de bonis operibus. Sicut manus pauperis apprehendit elemosinam à Divite porrectam, ita fides peccatoris apprehendit Justitiam Christi à DEO Patre oblatam. Posteriores utuntur similitudine ollæ. Nam sicuti olla continet in se Thesaurum, & hæc ratione hominè locupletat, ita fides comprehendit justitiâ Christi, & hominè justificat, ut ait Calvinus l. 3. Instic. c. 3. §. 7. his verbis: *fides etiam si nullius per se dignitatis sit vel pretij, justificat nos Christum adferendo, sicut olla pecunijs referta hominem locupletat.* Calvini autem Sectatores volunt, fide comprehendere tam assensum intellectus, quam fiduciam voluntatis, ut patet ex catechismo Haidelbergensi & alijs. Ecce fidem pulchram Sectariorum; scilicet ollam fictilem, & scabiosam manum pauperis! Probant hæc ferè argumentis. 1. *Gratiâ suâ nos gratis sibi acceptos fecit in suo Dilecto* ad Ephes. 1. v. 6. 2. Fides facit, ut subsistant, quæ sperantur ad Hebr. 11. v. 1. Er-

go est fiducia, sicuti etiam apparet ex ejusdem vocis usu. 3. Multa sunt Josa S. Scripturæ ubi sensus non potest subsistere, nisi per fidem intelligatur fiducia. 4. Fides non justificat nos 1. ut respicit in verbo DEI rerum gestarum historias, aut comminationes pænarum, aut præcepta operum faciendorum, sed solummodo ut respiciens promissionem gratiæ; nullum autem singularem respectum habemus ad promissiones supra cætera, nisi fiducia. Ergo hæc est, quæ justificat. 5. Si una tantum sit fides, eaque quovis respectu justificet, sequitur, fidem historiæ de Tobia, ejusque cane, eodem modo justificare, quò fides gratiæ in Christo promissæ &c. hujusmodi autem dogmata non tam refutanda, quam detestanda sunt.

VIII. Error iste novus est, & valde affinis errori Osiandri, qui docuit, Deum nullam justitiam ut sufficientem acceptare, nisi suam essentialem, adeoque nec justitiam Christi Hominis, quæ creata est, probavitque figmentum suum ex Scriptura allegando illud. 2. Petri. 1. v. 4. *efficiamini divina consortes Natura;* unde intulit, hominem posse justitiam DEI essentialem accipere, ratus æque fieri posse, ut homo per actum fidei apprehendat, sibi que uniat justitiam DEI essentialem, ac Justitiam Christi creatam; quæ tamen opinio merito omnibus hæreticis cæteris displicet, adeo ut Calvinus L. 3. Instic. cap. 11. §. 5. scribat: *Osiander monstrum, nescio quod, essentialis justitia inveniit, scilicet ut homo formaliter per ipsam DEI justitiam increatam sit justus.* Quare etiam si sola fides justificaret (quod tamen jam negavimus.) nihilominus huic actui fidei specialis vis justificandi concedi non posset.

IX. Primò. Quia hæc fiducia seu specialis fides nullum habet fundamentum in S. Scriptura. Nunquam enim dicitur, per talem actum justificari hominem, sed longè alia fidei justificantis objecta proponuntur. v. g. Genes. 15. v. 16. *credidit Abraham DEO, & reputatum est illi ad justitiam.* Quid tunc credidit Abraham? an sibi remissa esse peccata? minime; nulla illorum sit mentio, sed quod habiturus sit hæredem, & ex illo copiosam propagationem, sicut illi promiserat Deus. Et Apostolus ad Coloss. c. 2. v. 2. ita fidem depingit: *in omnes divitias plenitudinis intellectus in agnitionem mysterij DEI & Patris Christi JESU.* Ecce plenitudo fidei attingit intellectum, ita ut fiducia solum sit fructus fidei. Secundo. Quia ut aliquid credatur fide divinâ, oportet illud vel expressè à DEO esse revelatum, vel saltem implicite. Atqui non est revelatum expressè, Lutherum vel Calvinum esse, in gratia, ut per se patet: neque inclusum in revelatis; licet enim revelata sit hæc propositio universalis: *omnes qui ritè & debite baptizantur, ex toto corde ad Deum convertuntur, Deum amant, penitentiam agunt &c. peccatorum veniam acquirunt, ac justificantur.* At Minor, nempe Lutherus aut Calvinus hæc rectè facit, nullibi est ullo modo revelata. Ergo credere non possunt se justificatos, peccatorum veniam acquisivisse &c. Tertio. Rom. 8. v. 9 & 1. ad Corinth. 15. v. 49. *justi sunt conformes imagini Christi, & portant imaginem Christi.* Iste autem non est justus per imputationem justitiæ extrinsecæ, increatæ, & essentialis DEI &c. Ergo etiam nos habere debemus justitiam intrinsicam, veram, propriam inhærentem. Concedit, Amesium fol. 117. conclusionem

clusionem; at, ait, quia homo exemplar suum non exæquat, idcirco gratiosam requirit iustitiæ imputationem, ut fundamentum tam donationis, quam acceptationis coram DEO. Sed absque ullo fundamento hoc asserit. Nunquid pari jure vel injuriâ posset aliquis Ostrandri Sæctator explodere etiam Christi iustitiã humanã, ac dicere, eam non adæquare suum prototypum divinum, ideoque debere illius defectum per hujus plenitudinis imputationem suppleri? eadem sanè proportionaliter utrobique æqualis est ratio, ut consideranti patebit. *Quartò.* Si actus illi fiduciæ semper & infallibiliter iustificat, sequitur omnes, qui illos eliciunt, semper & infallibiliter fieri justos. Atqui Calvinistæ æquè ac Lutherani jactant se de hujusmodi actibus elicitis. Ergo & hi & illi erunt justii. Cur ergo se invicem tanquam hæreticos accusant ac damnant? Non obest, quod utriq; alijs laborent erroribus; quia isti omnes tolluntur; & per fiduciam illam vel fiunt justii, & concludit optimè argumentum: vel non fiunt. Ergo sola fiducia non iustificat.

X. Respond. *ad primum* in oppositum. *Gratiã suã nos gratis sibi acceptos fecit in Dilecto, id est Christo* Eph. i. cir. & Verbum græcum *χρησισαν* significare internè gratiosos, & formosos facere; unde Interpretres in hunc locum communiter docent, per gratiã Sanctificantis infusionem nos gratiosos fieri, & quidem in Dilecto, id est, Christo nos debere, quod nõ solum à peccatis simus liberati, sed etiam Amici Dei effecti. Hanc ipsam declarationem dat D. Chrysostrmus doctrinã Paulinã, & textus græci scientissimus. Et quis hujus expositioni non plus credat, quam vanissimis glossatoribus hæreticis? *Ad secundum* distinguendo Antecedens. Fides facit, ut ea, quæ speramus & nondum existunt in substantia seu à parte rei, subsistant in anima & intentionaliter, concedo Antecedens. Facit ut subsistant, id est, certò expectemus ea, quæ speramus, scilicet promissam Misericordiam Resurrectionem, Gloriam &c. negatur Antecedens. & Consequentia; priori modo sumunt vocem *inchoatis* S. Chrysostrmus caterique Græci, qui optimè norunt illius vocis vim. *Ad tertium.* licet aliqui Catholici Doctores contendat, fidem in Script. nunquam sumi pro fiducia: alij verò concedant, id subinde fieri, omnes tamen unanimi consensu negant, fidem iustificantem esse illam fiduciam, ob argumenta tum hac, tum priori controversiã adducta. Hoc concedimus, fiduciam esse conjunctam fidei, ut manifestè apparet in Abraham; in quem modum explicari possunt plura exempla, quæ Gerhardus ex Sac. Scriptura affert. *Ad quartum.* absolute quidem & complete non disponere ad justificationem, nisi fidem, quæ per dilectionem operatur; siquidem *omnis, qui non diligit, manet in morte* Joan. i. c. 3. v. 14. inchoatè tamen, & incompletè ad justificationem disponere fidem tum historicam v.g. mortis Christi, quia facile avocatur à peccatis, & ad spem erigit illa dilectio Christi erga genus humanum, tum comminationis pænarum ob similem rationem, tum respicientem præcepta & leges operum faciendorum, quia excitat propositum bene agendi sine quo nemo iustificatur. De reliquo fidei iustificantis munus esse reddere singulos absolute certos de remissione peccatorum, nimis falsum atq; hæreticum est, ut abunde constat ex dictis. *Ad quintum.* sequelam hanc esse profus stramineam, cum

nulli Catholicorum non constet, fidem explicitè tam non esse necessariam ad justificationem de Tobia cane, & innumeris similibus, quæ non sunt revelata, ut singulis innotescant, & explicitè credantur. Sed tamen, quia revelata sunt ab omnibus fidelibus, saltem implicite credi ea oportet. Cætera S. Scripturæ & Patrum testimonia, quæ hæretici pro se allegant, loquuntur vel de revelatione assentiæ Christi generaliter in Ecclesia, vel de aliquâ certitudine Morali ex operibus accepta, ut ex Scholasticis etiam ostendit Arriaga Tom. 4. D. 49. de gratiã à n. 4. qualis certitudo moralis non tollit, aut impedit orationem, Sacramenta, & alia pia opera, ut facit actus fidei, quo quis credit sibi remissa esse peccata, ut mox in sequenti Controvers. dicemus. Videri potest Becanus in Manuali à fol. 429.

CONTROVERS. LV.

DE CERTITUDINE JUSTIFICATIONIS.

Mirè blandiunt sibi hæretici, qualiter essent de peccatis sibi remissis, & insultant Catholicis tanquam de sua justificatione anxie fluctuantibus. Pro rei igitur declaratione supponimus. Certitudinem esse firmitatem quandam, & immutabilitatem veritatis, eamque esse triplicem. 1. est Objectiva, quæ est connexio necessaria terminorum, sive secundum se, ut homo est rationalis, sive ut subsunt principio infallibili, ut canis Tobia movit caudam ex hypothesi, quod Deus revelaverit. 2. Formalis seu Cognitionis, quæ est necessaria veritas actus ex certitudine objecti orta. 3. est Cognoscentis, firma scilicet adhæsiõ intellectus alicui objecto. Porro quædam certitudo est evidens, earum scilicet rerum, quæ aliquo modo videntur, ut principia prima rerum, conclusiones deductæ, res sensibus corporis perceptæ, quæ ultima etiam dicitur certitudo experientiæ; non esse autem certitudinem idem formaliter cum evidentiã constat ex separatione harum proprietatum; etenim in actu fidei divinæ reperitur summa certitudo cum obscuritate veritatis, quantumvis cum evidentiã credibilitatis. Demum objecti & cognitionis solet triplex assignari certitudo. Nimirum. 1. Moralis, quæ habetur ex motivis absolute quidem fallibilibus, moraliter tamen infallibilibus. 2. Phisica, quæ naturaliter est infallibilis, miraculo tamen fallere potest, sicut ignis in fornace Babilonicã non ussit tres pueros, licet absque miraculo ex naturã suã id fecisset. 3. Metaphisica, quæ habetur ex objecto, quod nec divinitus aliter esse potest, ut certitudo de homine, quod sit rationalis &c.

his suppositis.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. Doctrina prima. Justificatus citra specialem DEI revelationem non potest certitudine fidei scire, se esse in statu gratiae. Traditur haec veritas Catholica in S. Scriptura Prov. 20. v. 9. *quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato? At si quis fidelis fide divinà credere debeat, sibi peccata esse dimissa, omnes possunt affirmare illud, quod Scriptura negat. Ecclesiastæ 9. v. 1. & 2. sunt iusti, atque sapientes, & opera eorum in manu DEI, & tamen nescit (scilicet iustus.) utrum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum reservantur incerta, eò quod omnia eveniant iusto aequo, ac impio. 1. ad Corinth. 4. v. 4. neque me ipsum iudico, nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, qui autem iudicat me Dominus est. Ad Philip. 2. v. 12. cum metu & tremore salutem vestram aperamini. Fidei autem certitudo omnem timorem & tremorem arceat. S. Scripturae ad stipulantur Concilia, & Patres. Tridentinum Sess. 6. c. 9. haec habet: *sed neq. illud asserendum est, oportere eos, qui vere iustificati sunt, absque omni dubitatione apud semetipsos statuere, se esse iustificatos. Et infra: sicut nemo pius de DEI misericordia, de Christi merito, deq. SACRAMENTORUM virtute & efficacia dubitare debet, sic quilibet, dum se ipsum, suamq. propriam infirmitatem & dispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam DEI esse consecutum. Ex Sanctis Patribus Hieronymus cit. locum Ecclesiastæ c. 9. sic exponit: porro hic sensus est, etiam in hac dedi cor meum, & scire volvi, quos Deus diligeret, & quos odisset; & inveni iustorum quidem opera in manu Dei esse, & tamen utrum amentur à Deo, an non, nunc eos scire non posse & ambiguos fluctuare, utrum ad probationem sustineant, qua sustinent, an ad supplicium. In futuro igitur scient, & in vultu eorum sunt omnia, id est antecedet eos, cum de hac vita discesserint, notitia istius rei, quia tunc est iudicium, & nunc certamen, & quicumque adversa sustinet, utrum per amorem Dei sustineant, ut Iob, an per odium ut plurimi peccatores, nunc habetur incertum. Haec ille, quid clarius dici potest pro doctrina Catholica? S. Augustinus in Psal. 149. circa verba exultabant Sancti in gloria, agens de modo gloriandi in conscientia, asserit, in ea posse consistere peccatum occultum, allegans illud Prov. 10. cit. *quis gloriabitur, mundum se esse à peccato, ita scribit. Est ergo modus quidam in conscientia gloriandi, ut noveris, fidem tuam esse sinceram, noveris esse spem tuam certam, noveris charitatem tuam esse sine simulatione, sed quoniam multa sunt adhuc sorte, qua possunt offendere oculos Dei; lauda eum, qui tibi ista donavit. Idem S. Pater L. 50. Homiliarum, hom. 35. tractans parabolam de decem virginibus sic ait: quid responderunt illis stultis, ne forte non sufficiat nobis & vobis: quando Apostolus dixit, sed neque me ipsum iudico. Si ergo conscientia nostra sub examine iudicij Dei trepidat, & quamvis sibi rectat putet, tamen timet, ne exeat iustitia regulà de thesauro illius, & inveniatur tortum, quod videbatur rectum, quanto minus curare debemus aliena iudicia. Et paulo post. Quando autem vivimus hic, de nobis ipsi nos ipsi iudicare non possumus; non dico quid cras erimus, sed quid hodie simus, quanto minus debemus moveri iudicij alienis, quam de***

conscientia nostra, qua nobis perhibet testimonium; nam gloria nostra debet esse conscientia nostra. Plura P. P. testimonia videri possunt apud Bellarm. P. 3. de iustif. c. 7. Verweis in speculo Ecclesiæ à. fol. 403. &c. Suadetur eadem Doctrina nostra ratione, quam insinuat Concilium Trident. verbis recens allatis Quia licet generalis promissio nobis facta fuerit, illa tamen absoluta non est, sed requirit aliquas conditiones; nempe ex parte iustificandi dispositiones: ex parte ministri intentionem ritè conferendi Sacramentum; nemo autem circa specialem revelationem scire potest, se rectè esse dispositum ad gratiam. Ministrum Sacramenti requisitam habuisse intentionem &c. Videantur DD. de Walenburch Tom. 2. fol. 509.

II Doctrina secunda. Nec certitudine Theologica possumus esse certi de propria iustitia, multò minus certitudinè evidenti physica aut metaphysica Ita omnes Catholici DD. cum S. Thoma. 1. 2. q. 112. a. 5. Ratio prioris partis est; quia ista certitudo Theologica deberet ex aliqua propositione revelata certò deduci, quod fieri nequit; tamen enim revelatum sit, Sacramentà esse efficacia, & ex se iustificare; quia tamen requirunt in nobis aliquas conditiones, de quibus nihil constare potest, non possumus ex illa revelata certò & Theologicè inferre, nos esse iustificatos per susceptionem Sacramentorum, aut per aliquem actum Sacramentalem. Ratio posterioris est; quia illa evidentia ex nullo effectu acquiri potest, multò minus ex aliqua causa, & ipsum Tridentinum satis insinuat illi cognitioni, quam de propria iustitia habemus, posse subesse falsum, quatenus ait: *nos non posse scire certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, nos esse in gratia.* Confirmatur utraque pars exemplis S. Scripturae & Historiæ Ecclesiasticæ; quæ docet Hilariones, Bernardos, aliosque viros integerrimos de sua iustitia aliquando formidasse; quomodo ergo credibile est, omnibus fidelibus certitudinem adesse de propria gratia, atque iustitia, & simul instructionem & adhortationem quotidie orandi: *dimitte nobis debita nostra, quæ petitio foret profusus frustranea.*

III. Dicunt Sectarij. David certus fuit de remissione peccatorum suorum, testante Prophetà Nathan. 2. Reg. 12. v. 13. quod *Dominus transulis peccatum, & tamen postea conscripsit psalmos pœnitentiales, in quibus jugiter petebat remissionem peccatorum.* Ergo certitudo veniæ non impedit ulteriorem ejus petitionem. Respond. duplicem esse remissionem peccatorum; unam quoad culpam, alteram quoad pœnam, & priori remissione obtentà plerumque restare adhuc aliquas pœnas temporales in hac vel alterà vita luendas; inter quas etiam numeratur privatio specialis familiaritatis cum Deo, & inde omnimodæ suavitatis ac consolationis. Licet ergo David per testimonium Prophetæ certus fuerit de remissa culpa, non tamen fuit certus de remissis omnibus pœnis; etenim filium infantem morte sublatum vidit, & se consolationibus divinis privatam sensit. Has ergo pœnas deprecabatur nominatim Psal. 50. v. 14. *Redde mihi letitiam Salutaris tui &c.* Nec hæretici hoc etiam modo respondere possunt, dicendo, se in oratione Dominica non petere remissionem culpæ, sed tantum pœnæ. Quia ipsi totam remissionem peccati ponunt in condonatione pœnæ, non in absolutione culpæ. Si ergo credunt

credunt illi, remissa sibi peccata, tum credunt condonatum pœnam, adeoque frustra ejus remissionem flagitant.

IV. *Doctrina tertia.* Nihilominus aliqui justi possunt habere moraliter talem certitudinem, quæ licet absolute falsitas ei subesse possit, & consequenter possint etiam humano modo dubitare, attamen simpliciter ita eos reddat securos, ut regulariter non admittant eam formidinem. Ita Valeria. Tom. 2. D. 8. q. 5. punct. 4. Suarez. Vasq. Vega, & teste Tanner. Tom. 2. q. 6. n. 120. communiter Catholici DD. Nam si supponamus aliquem, qui in primis longo tempore varijs Sacerdotibus Confessus nullam de aliquo illorum dubitandi rationem habuerit tam circa ordinem, quam intentionem: atque ipse insuper ad maximum semper dolorem se excitaverit & bonâ fide omnique morali diligentia adhibita semper accesserit: absque ullâ novâ mortalis conscientia toto illo tempore venialia sedulo confessus fuerit, cum proposito millies moriendi potius quam ullum mortale perpetrandi: magnam item animi pacem facilitatemque in vitandis etiam venialibus ex deliberatione expertus fuerit: denique rebus divinis deditus in eis consolationem senserit; hic, inquam, homo tamen si reflexè diligentet hæc omnia signa considerando reperire possit aliquem formidini locum, attamen difficulter, ita ut ordinario modo, vel non possit haberi ea formido, vel certè facile arceri. Atque in hunc modum loquuntur tum S. Paulus 2. ad Corinth. 1. v. 12. de se, & perfectis Christianis ajens: *hæc est gloria nostra, testimonium conscientia nostra.* Et S. Joan. epist. 1. c. 2. v. 21. inquit, *si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum;* tum aliquæ SS. PP. apud Tannerum loc. cit. relati. Videatur Bellarmin. Lib. 3. de justif. c. 3.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETI- CORUM.

V. *Error primus* est, doctrinam Pontificiam, quod quis Fidelium in particulari de suâ justificatione & justitia certitudinem habere nequeat, esse aliquam hæresin à Novato & hujus sectatoribus Novatianis & Catharis excitatam. Ita præter alios sectarios nominatim Hailbrunner in novo suo Papatu fol. 96. Errori huic S. Scriptura & S. S. Patres aperte repugnant. Afferatur vel unicus textus è S. Scriptura clarè affirmans, quod ex fidelibus quis certò sciat suam justificationem & liberationem à peccatis, sicuti contrarium asserunt tum alij, tum illi textus, quos nos adduximus. Ostendatur etiam vel unicus Pater, qui unquam pro hæresi habuerit eandem doctrinam nostram, imò hanc Scripturæ non conformem agnoscat, & vel non tradat ipse, vel ab alijs traditam non supponat? Audiamus modò unum S. Ambrosium, qui in Psal. 118. Serm. 5. Scribit super ista verba: *auser opprobrium meum, quod suspiciatus sum: penitentia licet abolitum, suspectum tamen erat, ne forte maneret adhuc ejus opprobrium; & ideo Deum precatur, ut illud auferat, qui solus novit, quod nescire potest etiam, qui fecit.* Pulchra doctrina hujus S. Patris, sanctè vivere, & non securum se facere,

quasi à salute aberari non posset, sed semper Dei gratiam implorare. Quæ Adversarij de Novato ac hujus Affectis afferunt, credo quod nec ipsi intelligant. Fuit Novatus, ut Scribunt Theodoretus L. 3. Hæres. & Cyprianus Epist. 2. L. 4. Rom. Ecclesiæ Presbyter, voluitque vehementer, ut illi Christiani, qui in persecutione propter multa probra, & tormenta fuerunt lapsi, fidem Catholicam abnegando, non amplius reciperentur in Ecclesiam nec ullum illis Spirituale auxilium porrigeretur, etiam si supplices recipi postularent, & ad poenitentiam agendam se offerrent; de quorum proinde salute, extra Ecclesiam, & absque Spirituali auxilio præstito morientium utique certitudo nulla justificationis & salutis haberi poterat; sed quid hoc contra nos? ostendunt Adversarij, nos idem docere, cum è diametro oppositum dicamus, quod lapsi ad poenitentiam recipiantur, quod Spirituale illis auxilium præbeatur, quod ab Ecclesia non abigantur, ut clarissimis verbis tradit Concilium Trident. Sess. 6. c. 4. quod videri potest.

VI. *Error secundus.* Justificatos fide divina certos esse de gratiâ suâ, & justitiâ. Ita passim Sectarij nostri temporis, ut videre est apud Gerhard L. 2. P. 3. à fol. 726. & Amesium Tom. 4. à fol. 145. atque alios asserentes: *hominem poenitentem, ac verè in Christum credentem posse ac debere esse certum, sibi propter Christum remissa esse peccata, ac se apud Deum esse gratiâ.* Probant hanc suam opinionem ex varijs S. Scripturæ textibus. 1. habetur Joan. 5. v. 19. *Scimus, quoniam ex Deo sumus.* & v. 10. *qui credit in Filium Dei habet testimonium Dei in se.* 2. habetur Rom. 8. v. 16. *ipse Spiritus reddidit testimonium conscientia nostro, quod sumus filij Dei.* 3. habetur Hebr. 6. v. 16. & sequent. *Homines enim per majorem sui jurant: & omnis controversia eorum finis ad confirmationem est juramentum, in quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationes hereditatis immobilitatem consilij sui, interposuit iurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est, mentiri Deum, fortissimum solatium habeant, qui confugimus ad remdam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animo tutam, ac firmam &c.* 4. habetur Joan. 5. v. 24. *amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transit à morte ad vitam.* 5. habetur 2. Corinth. 1. v. 21. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus: qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* 6. habetur ad Ephes. 1. v. 13. & 14. *In quo & vos cum audissetis verbum veritatis (Evangelium salutis vestre) in quo & credentes signati estis Spiritu promissionis Sanctæ, qui est pignus hereditatis vestre in redemptionem &c.* Ergo fideles hoc signaculo sunt omnino certi, se esse in fide & gratiâ. Confirmant ex dictis suam opinionem 1. hoc Syllogismo apud Amesium fol. 144. unusquisque fidelis tenetur illud credere certitudine fidei, quod Deus fidelibus promittit. Sed Deus fidelibus promittit, quod remittentur ipsis peccata Actor. 10. v. 43. Ergo unusquisque fidelis tenetur credere certitudine fidei sibi remissa esse peccata. 2. Ex absurdo quia perquam absurdum, inquit, est dogma illud, quod perpetuam dubitationem hæsitacionem & fluctacionem astruit. Hanc confirmationem magni facit Hanneken in Irenico suo à fol. 19. ubi vanam suam specialem fiduciam multis roborare laborat.

VII. Hunc errorem adeo dilucidè refellunt Sac. Scripturæ & Patrum testimonia, ut ad illa tenebris quibusdam involvenda Adversarij frustra omnes

omnes intendant nervos. Nam quomodo quis certus esse possit, præsertim certitudine fidei, se verè credere, pænitere, existere in gratia? ex qua Scripturâ hoc de se in particulari demonstrabit? nunquid Lutherani crepant, se credere, &c. Nunquid idem de se jactant Calvinistæ, Zwingliani, Schusteriani, Menonistæ, aliique plurimi hoc ipsum clamitant, ac justos Deique amicos se esse gloriantur? Cum verò una tantum vera fides esse possit: & fides eorum omnium sint diversissimæ, singulique infallibiliter se veram fidem ac justitiam possidere credant, certissimum est, eos in hac exultatâ fidei certitudine singulos errare. Ergo de suâ fide, pænitentia, gratia, perseverantia, prædestinatione, æternâque salute certi esse nequeunt. Porro solutio omnium fere, quæ Adversarij pro se afferre possunt, ex uno sequentium capium habetur. 1. quod sermo sit de remissione peccatorum in genere, non autem singulis applicata. 2. quod sermo sit tantum de certitudine conjecturali, vel de illa, quam certam moraliter appellamus. 3. Quod sermo sit de quibusdam certis personis tantum, quibus speciatim revelatio eâ de re facta sit. 4. quod sermo sit de certitudine gratiæ, quantum est ex parte & efficaciæ mediatorum, quæ à Deo ad conciliandam gratiam præscripta sunt. 5. quod sermo sit ex suppositione v. g. quod quis præscriptis à Deo medijs legitime utatur &c. Nunc singillatim ex allatis testimonijs.

VIII. Respond. Ad 1. vocem illam *scimus* non includere certitudinem Fidei divinæ, sed tantum conjecturalem; quippe rectè scire dicimur, quæ ex signis & conjecturis colligimus; & de hac solum conjecturali scientia agere Joannem, patet inde, quod ex signis externis & affectu, qui est in voluntate, colligi velit, quod ex Deo simus, ideoque rationem scientiæ hujus addit; *quia diligimus fratres*. Ergo dilectio fratrum est illud signum; ex signo autem aliquid colligere, non est certitudo fidei. Adhæc in isto & similibus locis non est sermo de fide & persuasione speciali singulorum Fidelium, ut somniant Sectarij, sed sententiæ illæ omnes generales sunt: neque affirmant de omnibus & singulis infallibiliter verum, quod in communi loquendo de fidelibus desiderabat, & sperabat Apostolus; sicuti D. Paulus, cum loquitur de prædestinationis, fere semper ita loquitur, quasi certus esset, non solum se, sed & illos omnes, ad quos scribit, in numero electorum fuisse; quia scilicet id cupiebat & sperabat; sive Apostoli ex speciali privilegio infallibiliter fuerint certificati de suâ justitia, perseverantia & prædestinatione, sive non, de quo non omnino constat, etenim ex illo 1. ad Corinth. 9. v. 27. *ne cum alijs prædicavero, ipse reprobus efficiar.* cum S. Gregorio & alijs probabiliter colligit Cornelius à Lapide, Apostolum non habuisse certitudinem infallibilem de sua prædestinatione, & salute æternâ. Ad 2. aliud inde non sequi, quam Spiritum S. illud testari, quando, ut oportet, clamamus: *abba Pater*; at non est certum de fide, nos apponere conditionem his verbis subintellectam. Quare licet Spiritus Sancti testimonium in se sit infallibile, attamen constare nobis non potest, an illud testimonium, quod sentimus in nobis, verè sit Spiritus S. an diaboli, vel naturæ, vel sensualitatis; certum enim est, in agnoscendo Spiritu non raro nos falli; unde dicitur 1. Joan. 4. v. 1. *probate Spiritus si ex Deo sint*; quod

faretur Calvinus L. 3. Instit. c. 2. §. cum sit. sic scribens: *experientia ostendit, reprobos interdum simili fere sensu atque electos affici, ut ne suo quidem judicio quidquam ab electis differant.*

IX. Ad 3. Juramentum DEI, ut certum, nos utique admittere, quod tamen constare nos nihil facit; etenim ut probent Sectarij, hunc vel istum in particulari de justitia & salute esse certum, debent locum proferre, ubi huic vel illi in particulari, daturum se hæreditatem, fuerit DEUS pollicitus juramento; aliàs enim semper incertitudo particularis eadem recurret. Quin imò, ut Apostolus ostenderet, de hæreditate acquirendâ non posse haberi scientiam infallibilem, addidit (ad tenendam propositam spem) quasi diceret, nos promissam hæreditatem sperare tantum non autem de ea certos esse posse; siquidem non possumus esse certi, an compleverimus, quæ à nobis, & prout à nobis requiruntur. Ad 4. eodem, quo prius modò, scilicet oportere Adversarios ostendere, hominem fidei certitudine certum esse posse, se in particulari verbum DEI aptè audire, præcepta debite servare, & Deo sufficienter credere &c. Hæc quia homo scire certò nequit, nec certus esse potest de ijs, quæ à DEO promittuntur. Bene etiam Tirus in c. 3. Joan. versum. 36. notat, ex S. Augustino Tract. 14. in Joan. in similibus locis Tò habere vitam æternam, idem esse ac mereri vitam æternam, quod fieri potest, etiamsi id nos certò non sciamus. Ad 5. in primis gratis dici, in hoc loco agi de fide, cum communiter Doctores asserant, agi hîc de signaculo Baptismi vel Confirmationis, quibus ista propriè conveniunt. Deinde si de signaculo fidei ageretur, probaret contra Lutheranos, fidem amitti posse. Demum in particulari nemo certus esse potest, se habere talem fidem, ut sæpius jam dixi, & consequenter scire nequit, utrum ipse unus sit ex illis, quos signavit Dominus, & eisdem Spiritus Divini pignus dedit. Ad 6. cum hoc signaculum non sit eis impressum, sed colligi tantum debeat ex conjecturis & signis, certi esse nequeunt certitudine fidei, se hos signatos esse. Videri potest Cornelius à Lapide de his & alijs similibus locis.

X. Respond. ad primam confirmationem. Negando Minorem, quæ falsa est, si absolute sumatur; etenim promissit tantum remissionem adultis sub conditione, si se converterint verè, & seriam egerint pænitentiam, de quâ conditione impleta non habetur à quovis, nisi probabilitas aut moralis certitudo, idemque est de remissione peccatorum per Sacramentum Baptismi, & Pænientiæ cum imperfectâ dilectione vel contritione. Imò in hoc videtur ex duplici capite nasci eam, quam diximus, incertitudinem, nimirum ex parte conferentis & suscipientis. Et roboratur hoc argumentum ulterius; quia si ejusmodi articulum fidei haberemus, sequeretur omnem hominem, qui peccat mortaliter, continud fieri hæreticum; quippe non potest is, qui voluntariè peccat, credere se esse justum, nisi falsum de industria credere velit.

XI. Ad 2. fateri nos, absurdum esse vi alicujus dogmatis assiduis dubitationibus & fluctuationibus subdi: attamen hoc fieri debere, non est doctrina Catholica, sed aperta impostura hæreticorum, ut contra Menonem Hanneken ostendit in Apologia Ieremici Catholici contra eundem


Ait Amefius, satis absurditatis esse in eo, quod Pontificij doceant, perpetuo dubitandum esse de perseverantia & electione, cum tamen Apostolus ad Ephes. 3. v. 12. dicat: per quem habeamus fiduciam vel audaciam & accessum in confidentia per fidem ejus. Sed & hæc obesa est calumnia, quod Pontificij doceant, perpetuo dubitandum de gratia, perseverantia &c. Scire etiam cuporem ex Amefio, cum non habuerit infallibilem de suo patre, de fide suæ uxoris &c: Sed ad summum duntaxat moralem certitudinem, aut opinionem verò similem, an idcirco perpetuo dubitaverit, & fluctuaverit, anxiusque hæserit ne forsam esset adulteræ filius, aut maritus? sanè Catholici Sapientissime faciunt, qui juxta monitum S. S. Apostolorum cum metu & tremore operantur salutem, eò quod, licet in divina misericordia & auxilio certissimam spem collocent, attamen cum hæc nostram cõoperationem requirant, merito solliciti sint, ne forte divinæ gratiæ eò, quo oportet modo, non respondeant: ideoque satagunt, ut quoridie per bona opera certam faciant vocationem & electionem suam. Licet igitur hæc Catholicorum sententia non omnem omnino formidinem tollat, aufert tamen anxietatem, imò & dubitationem illam propriè sumptam, quæ neutri parti assensus datur. Ad illud ex epist. ad Ephes. 3. dicimus, certitudinem gignere audaciam, sed eam certitudinem non esse de justitia nostra, sed de veritate mysteriorum fidei. Habemus igitur confidentiam, audaciam, accessum ad Deum per fidem Christi, quia hæc (sive divina à parte rei ista in nobis sit, sive humana) animati confidenter accedimus ad thronum gratiæ Dei, sicuti filius habens persuasum hunc esse suum patrem (et si nec pater nec filius habent certitudinem infallibilem de suâ illa necessitudine) fiducialiter ad illum accedit & beneficia sibi ab eo pollicetur. Quod addat Calvinista fol. 149. Apostolum dicere, hanc certitudinem esse per fidem Christi: hanc autem fidem imputari ad justitiam, ab eodem Apostolo ubique doceri, est hæc quoque hæretica impostura quindecim Christianis sæculis ignota, ut ex dictis patet.



CONTROVERS. LVI.

DE AUGMENTO GRATIÆ Justificantis, & hujus Amis- sione.

Quemadmodum stella differt à stella. i. ad Corinth. 15. v. 41. ita Sancti gratiã inter se diversi sunt, & hæc alius alio magis splendet. Item sicuti stellæ de cœlo cadunt, vel cadere videntur Apoc. 8. v. 10. & Matth. 24. v. 29. ita justii in gratia non sunt stabiles, sed excidere eã possunt, utrumque autem horum cum hæreticis est controversum, pro cuius litis decisione.



PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima.* Gratia justificans augetur

in justificatis per bona eorum opera. Hanc veritatem definit Tridentinum Concilium Sess. 6. c. 7. dum ait: *Infundi justitiam juxta cujusque dispositionem & cõoperationem, & gratiam augeri per bona opera.* de quo c. 10. & Can. 24. & 32. Probatur 1. ex Sacra Scriptura. Ecclesiast. 18. v. 22. *Non impediatur orare semper, & ne verearis usque ad mortem justificari.* Rom. 2. v. 13. *factores legis justificabuntur.* Apocal. 22. v. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.* 2. Petr. 3. v. 18. *Crescite in gratia.* Ephes. 4. v. 15. *veritatem facientes in charitate crescimus in illa per omnia, qui est Caput Christus.* Colos. 1. v. 10. *Ambuletis digne Deo per omnia placentes in omni bono opere fructificantes & credentes in scientia Dei.* Sac. Scripturæ consentiunt P. P. & quibus D. August. Tom. 10. de verbis Apostol. Sermon. 16. c. 5. *Justificati, inquit, sumus, sed ipsa justitia, cum proficimus, crescit.* Utautem Justii ita crescere semper in gratiã possint, quamdiu sunt in viã, habent auxilia sufficientia, ut novos & novos actus efficiant, sicut definitur in Clement. ad nostram. de hæret. cui consentiunt passim Patres. Et ratio facilis est, quia cum gratia intendatur etiam per actus remissos, ut suo loco patebit, nec possumus dicere, Deum homini rationis capaci denegare auxilia ad bene operandum, non est, cur dicamus, eum non posse semper in gratiã crescere, & magis magisque justificari.

II. Hinc tamen nunquam futurum est, ut homo proprijs actibus in gratiã factis eò excresecat, ut fomitem extinguere possit. Sumitur hoc ex verbis Pauli ad Rom. 6. v. 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis mee, & captivantem me in lege peccati.* Ubi cum Apostolus ad summam gratiam elevatus dicat, se adhuc sentire rebellionem appetitûs, manifestè insinuat, eandem in cæteris manere. Idem dogma traditur à SS. Patribus, è quibus D. Hieronym. ex illo ad Gal. 15. v. 17. *Caro concupiscit adversus spiritum sic inferre: Et ecce Apostolus omnesque credentes, quod volumus implere, non possunt.* Ratio esse potest, quia Deus favorem spiritualem, quem exhibuit Beatissimæ virgini Mariæ; noluit præstare cæteris hominibus; certè hoc absque urgentissimo fundamento non facile de ullo alio asserendum, cum miracula non sine gravissima causa sint adstruenda.

III. *Doctrina secunda.* Gratia sanctificans in justificatis physicè augetur: & non dicitur homo solum magis justificatus propter opera moraliter permanentia. Ita Catholici Doctores. Nam Trident. Concilium loco cit. ajens, *per bona opera nos mereri augmentum gratiæ,* supponit illud augmentum esse distinctum ab ipsis operibus, cum opera se ipsa non mereantur. Deinde augmentum, quod fit virtute Sacramentorum, ut est formaliter ex opere operato, non potest desumi ex opere moraliter permanente, cum tale nullum adsit. Denique gratia cum sit qualitas physica, capax est augmenti & intensiois perinde ut cæteræ qualitates. Ergo cum per tale augmentum, omnia optime componantur, debet procul dubio illud admitti. Utrum autem gratia per quodlibet opus bonum quantumvis remissum augeatur, commodius infra de merito dicemus.

IV. *Doctrina tertia.* Prædictum gratiæ augmentum statim confertur, dum fit actus. Ita Catholici Doctores conformiter Tridentino Sess. 6. varijs in locis. Ubi de augmento gratiæ & gloriæ semper loquitur cum distinctione; etenim gloriam docet, non dari nisi suo tempore, in fine vitæ &c. de gra-

de gratia verò nihil limitat; unde manifestè indicare videtur, hanc statim concedi; exceptio enim, quæ in uno extremo ponitur, & non in altero, apertè firmat regulam in contrarium. Adhæc gratia non caufatur physicè ab actibus, nec eos requirit tanquam dispositionem ad sui productionem; unde per Sacramenta ex opere operato cum remississimâ attritione aut alia dispositione v. g. in Eucharistiæ sumptione producit, & quidem statim. Cur ergo remissior actus, si eam gratiam mereatur, non statim eandem accipiat? certè nulla potest hujus rei sufficiens causa assignari. Etiam si autem Deus semper det auxilia ad bene operandum: & augmentum gratiæ pro remisso etiam actû, ut dicemus, statim concedat, nunquam tamen fiet, ut homo justificatus ad quamcumque intentionem crescat; quia Deus non dat auxilia summe intensa, nec ad quamlibet possibilem intensiorem actûs, ut docent Scholastici.

V. *Doctrina quarta.* Gratia semel habita potest iterum amitti per peccatum mortale. Hanc Catholicam veritatem definit Trident. Sess. 6. c. 11. & constat in Adamo & dæmonibus, quos fuisse in gratia, adeo certum est, ut nec ipsi hæretici negare aulint. Eandem persuadent omnia verba, quibus in Sac. Scriptura iusti monentur, ut attendant, ne cadant: & ut cum timore & tremore operentur ad Rom. 11. v. 20. Ad Philipp. 2. v. 21. Apoc. 3. v. ult. clarissimè verò Ezech. 18. v. 24. *Si averterit se justus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominaciones, quas operari solet impius, nunquid vivet? omnes iustitia eius, quas fecerat, non recordabuntur &c.* Ratio esse potest; quod etiam iusti teneantur præceptis divinis, & habeant libertatem ad transgrediendum illa, licet sint gravia. Ergo possunt peccare mortaliter. Ergo gratiam amittere.

VI. Porro cum gratia perditur etiam amicitia DEI & habitus charitatis, ut definitur in Trident. Sess. 6. c. 15. imò omnes aliæ virtutes morales infusæ. Nam si habitus oriuntur ex gratia, & ab ea naturaliter dependent. Ergo non conservantur absque illa. Non obstat, quod fides & spes maneat in peccatore, scilicet propter actus, qui fieri etiam à peccatore possunt; & enim manent non præcisè quia possunt fieri tales actus fidei & spei, sed simul quia Deus voluit eum favorem homini præstare, ut per illos connaturaliter ad iustitiam disponere se possit; de quò favore constat nobis ex Concilijs & communi Patrum ac Theologorum consensu; ad dicendum autem velle Deum alios quoque habitus similiter servare, non habemus ullum fundamentum. Cæterum hos etiam duos habitus Theologicos semel acquisitos iterum amitti posse, & quidem in perpetuum, indubitata est doctrina Catholicorum definita in Concilio Trident. Sess. 6. can. 15. ubi ait, *per infidelitatem amitti fidem*; quod idem proportionaliter de spe dicendum, cum eadem sit ratio, imò absque actu desperationis per solam infidelitatem Spes amittitur, quia enim fides est fundamentum absque hac fide subsistere illa spes nequit.

VII. *Doctrina quinta.* Ad gratiæ justificantis conservacionem requiritur ex parte hominis, ut non peccet mortaliter; ex parte verò Dei, ut det auxilium homini, ut non peccet. Ita Catholici Doctores. Ratio prioris est; quia si peccet homo mortaliter, eo ipso gratiam expellet: si non peccet, non est, cur expellatur, cum non habeat contrarium, nec detur de facto status medius inter

gratiam & peccatum. Quandoquæ ergo necessarium est, bonum opus positivum, est quoque necessarium tale opus ad gratiam conservandam. Ratio posterioris est; quia si homo non peccet, semper conservat gratiam. Ergo ex parte DEI nihil aliud requiritur, quam ut homini det auxilia ad non peccatum. Quale autem gratiæ auxilium ad diu non peccandum graviter, & ad perseverandum usque ad mortem requiratur, ad Scholasticos spectat. Videantur Suarez Lib. 10. de conservat. gratiæ cap. 2. Arriaga Tom. 4. Disp. 52. à num. 21. & alij.

P A R S P O S T E R I O R,

E R R O R E S H A E R E T I C O R U M.

VIII. *Error primus.* Peccator semel justificatus non potest evadere justior ex iustitiæ augmento. Ita recte Tanner Tom. 2. d. 6. q. 6. n. 184. Sæctarij hujus temporis, qui cum iustitiam nostram formalem in iustitia Christi imputata constituunt, in omnibus iustis æqualem iustitiam esse opinantur. Unde impium illud & scurrile dictum Lutheri in Serm. de Nativit. Beatiss. Virginis: *Omnes Christiani æquè magni sumus, atque Mater DEI, & æquè sancti ac ipsa.* Sequitur Magistrum suum Lutherum in impietate & scurrilitate discipulus Meno Hanneken in Irenicò suo fol. 382. ubi postquam retulit ipsissima verba Lutheri, subiungit ista sua: *hæc est divina veritas; cum nostra sanctitas perinde ac sancte Virginis Maria & aliorum sanctorum sit sanctitas Christi: similem errorem olim docuit Iovinianus, ut testatur S. Hieronymus Lib. 2. contra Iovinianum, sed ex alio fundamento, scilicet quod virtutes & peccata sint paria*

IX. Contra Jovinianum sunt plura testimonia S. Scripturæ, ex quibus constat inæqualitas tum virtutum, tum præmiorum in cælo Jobi 1. v. 8. *nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra?* 1. Reg. 9. v. 2. *non erat vir de filijs Israël melior illo.* Math. 11. v. 11. *non surrexit major inter natos mulierum Joanne Baptista.* Joan. 14. v. 2. *in domo Patris mei mansiones multe sunt.* 1. ad Corinth. 15. v. 44. *alia claritas solis, alia claritas lune, alia claritas stellæ, differt stella à stella in claritate &c.* Lutheranos satis rejecimus, & falsitatem erroris eorum lux solis refellit; nunquid enim ista non magis magisque effulget, aut in ea perpetua aurora aut assiduus meridies est? cur ergo & iustitia nostra non possit similiter incrementum sumere, cum teste S. Script. lux sit. Prov. 4. v. 18. *justorum semita quasi lux splendens, procedit & crescit usque ad perfectum diem.* Adhæc certum est ex S. Scriptura, in charitate alium alio esse perfectiorem; quomodo enim aliàs Joan. ultimo v. 15. Christus quærere ex Petro potuisset, *diligis me plus his?* Cum ergo charitas vel non distinguatur à iustitia, vel huic semper conjuncta sit, & Adversarij non neget, disparitatem esse charitatis in regeneratis, non possunt negare disparitatem esse iustitiæ. Videri potest Bellarm. Lib. 3. de Justif. c. ult. Ego solum adhuc quæro, quando Scriptura de Job c. 2. v. 3. ait: *Job vir justus fuit rectus ac timens Deum &c.* utrum iste cæteris fuerit justior

justior, an non? si fuit. Ergo iustitia in eo crescendo præcelluit: si non fuit, cur DEUS mox v. 5. subjunxit, quod non sit similis ei, Fundamentum, quo unice nituntur, præterquam quod falsissimum sit, non probat id, quod erueret ex illo Adversarij volunt, nunquid enim unus Pauper plus pecuniæ ex eodem sacco manu suâ magis avidâ & validâ apprehendere & extrahere potest, quàm alius? sic quoque Christiani inæquali fervore fidei Christi iustitiam apprehendere & alius aliò per actum fidei ferventior eandem sibi applicare potest. Blasphemum ac scurrile illud dictum Lutheri ejusque discipuli Menonis Hannekenij abunde refutant verba ista Angeli Luc. i. v. 28. ad Beatissimam Virginem: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*; quæ utique in aliam fæminam etiam Christianam & justam cadere non possunt. Ergo ipsa ampliore gratiæ augmento eminuit inter universos Christianos; quod unanimi consensu docent SS. PP. & DD. nominatim Andreas Cretensis serm. de dormitione Deiparæ ubi ait: *qua habes cum alijs non comparabilem appellationem, quæ excepto DEO sola es omnibus altior*. Si autem Beatissima Virgo Maria in gloria cunctis est eminentior. Ergo & in gratia, cum illa huic respondeat. Adhæc si omnes Christiani æquè justî sint ac Mater Dei, quia æqualiter omnes apprehendunt totam Christi iustitiam, tunc quilibet erit etiam æquè ac Christus justus; & cum gratia iustificans sit semen gloriæ, quilibet homo Christianus ac justus erit in gloria Christo æqualis. Quid autem absurdus stultius & scelestius cogitari potest?

IX. *Error secundus est, iustitiam semel acquisitam amitti non posse*. Ita post Manichæos, Pelagianos & alios hæreticos, Calvinistæ apud Amesium Tom. 4. à fol. 156. quorum Magister Calvinus L. 3. de iustit. c. 2. scribit: *nunquam disperire semen vite electorum cordibus insitum, & ita solidè Deum in ijs obsequare adoptionis suæ gratiam, ut stabilis ac rata sit*. Probant ex varijs S. Script. testimonijs maximè ex D. Joan. Epist. i. c. 2. v. 19. *ex nobis prodierunt. Sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permanissent utique nobiscum*. c. 3. ejusdem Epist. v. 6. *omnis, qui in eo manet, non peccat: & emnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum*. Ibidem v. 9. *qui natus est ex DEO peccatum non facit, quoniam semen illius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex DEO natus est*. Rursus ex eodem c. 4. Evang. v. 14. *qui biberit ex hac aquâ non sitiet in æternum, sed fiet in eò fons aquæ salientis in vitam æternam*. Demum ex illo ad Rom. 8. v. 35. & 38. *quis nos separabit à charitate &c.* Addit Amesium fol. 159. sine summa vel ignorantia vel impudentia non posse affirmari, quemlibet actum infidelitatis excutere habitum fidei, efficere hominem infidelem, & inimicum DEI secundum Scripturam, quod probat exemplis Saræ Genes. 18. Moyse & Aaron Num. 20. Zachariæ Lucæ 1. & Thomæ Apostoli Joan. 20. &c.

X. Hunc errorem abunde rejecimus parte priore: & hæretici egregiè refellunt suomet exemplo. Nam oportet esse hæreses. 1. ad Corinth. 11. v. 19. Ergo gratia fidei amitti potest; si enim gratia Sanctificans amitti non posset, nulli unquam Nicolaitæ, Marcionitæ, Priscillianistæ, Novatiani, Ariani, Pelagiani, Nestoriani, Euty-chiani, Lutherani, Calvinistæ aut alij hujus fortis homines extitissent, sed in gratiâ & fi-

de, quam in S. Baptismo acceperunt (& in hac deinde per aliquod utique tempus vixerunt) perstitissent, & Romanæ Ecclesiæ tanquam obedi-entes filij matri suæ constanter adhæssissent. Argumenta etiam nihil profus evincunt. Itaque.

XI. Respond. ad 1. Apostolum agere in hoc loco de hæreticis, de quibus juxta expositionem Cornelij à Lapide & aliorum dicit: *non erant ex nobis*; quia aliquamdiu antequam exirent, publicè hæresin spargentes jam occultè illam fovebant. Per quod minimè denotatur, quod semper eandem hæresin foverint, sicuti cum dicitur, Religiosus ille exivit à nobis, quia non erat ex nobis, non significatur, illum nunquam vero animo Religiosum fuisse, aut bene se gessisse, sed aliquamdiu ante egressum sic vixisse, ut partes Religiosi minimè faceret.

XII. Ad 2. 3. & 4. ex eodem Apostolo, agere D. Joannem in ijs quasi in sensu composito, ut homo, quatenus manet in DEO, quatenus filius DEI, & natus ex DEO, quatenus bibit ex hoc aquâ, & utitur, retinetque gratiam Spiritûs Sancti, non peccat; & in hoc eodem sensu nec potest peccare mortaliter: uti è contrario is, qui peccat, tunc in actu exercitio non rectè de DEO sentit, per quod tamen non negatur, ullo modo, eundem antea novisse Deum &c. uti præter alios rectè hos textus explicat Tirinus. Eadem argumenta proferuntur ab innumeris infantibus, qui à Lutheranis aut Calvinisticis prædicantibus baptizati ex eorum deinde grege ad Catholicam fidem se recipiunt. Nunquid infantes illi per lavacrum regenerationis acceperunt aquam illam iustitiæ salientem in vitam æternam? nunquid nati sunt ex DEO? & tamen (judicio hæreticorum prædicantium.) peccant gravissime transeundo ad idololatriam Papisticam. Ecce quàm infantilia sunt, quæ Catholicæ veritati obijciuntur.

XIII. Ad 5. Neque hoc argumentum ex Epist. ad Rom. 8. quidquam juvare Adversarios. Nam etsi Apostolus habuisset pro se infallibilem revelationem de sua perseverentia, an ideo etiam omnes hæretici illam habere putandi sunt? Sed nec Paulus de se ullam fidei certitudinem prædicat; nam ut optimè L. de morib. Eccl. c. 11. docet S. Augustinus, ita hic astruitur potentia & efficacia divini erga nos affectûs, ut tamen motus relinquatur propriæ malitiæ, foecordiæ, & negligentiae. Unde vocula: *certus sum* non designat omnimodam & absolutam certitudinem sed solum ex parte Dei, divinæque providentiæ: ex nostra verò parte, non nisi conditionem, si Deo cõoperari, nec divelli ab eo velimus. Et hoc vult græcum *πιστευω* quod tum hic, tum alibi ex mente Pauli idem est, quod persuasum habeo spero, confido, ut hic legunt S. S. Ambros, Hierony. Syrus. &c. imò & Erasmus, Beza, Tremellius & plures alij heterodoxi, ut testatur Tirinus. Perinde ergo se habuit Apostolus, ac miles generosus, qui ardore civitatis occupandæ incensus ante astrictum diceret: *certus & resolutus sum*, quod nec tela, nec saxa, nec ignes me à mænibus arcebunt, quin eadem conscendam.

XIV. Quod ad ultimum ab Ameseo adjectum; patere ex hoc insignem in ejus scitiam, & esse eundem convitijs & mendacijs, quàm doctrinâ præstantiorem. Est quippe certissimū apud omnes Doctores

Doctores formalem & completam infidelitatem (de qua in præsentiarum sermo.) esse gravissimum peccatum mortale; cum Deum mendacem faciat: esseque inter præcipua peccata, quæ ex malitia fieri dicuntur. Exempla non sunt ad rem. Sara leviter hæsitavit, non obstinatè, quod ad formalem completamque infidelitatem requiritur. Moyses & Aaron ex nimia perturbatione non nisi venialiter peccarunt, ut disertè affirmat S. August. q. 19. in l.ibr. Num. Et L. 16. contra Faust. c. 17. atque plerique Doctores cum

eo, quantumvis eorum incredulitatem DEUS morte temporali puniverit. Zacharias non nisi leviter dubitavit absq; pertinacia. Thomas Apostolus à mortifera pertinacia difficiliter excusatur, quam cæteri Apostoli, quibus Marci ult. incredulitatem & duritiam cordis Christus exprobravit. Hoc certum, illos non ex malitia, sed ex perturbatione & humanâ fragilitate fecisse. Videri possunt Cornel. à Lapite, Tirinus, & alij in cit. loc. Hæc de Justificat. Impij.

OPERA BONA: ET HORUM MERITA.

Ro hisce intelligendis aliquid breviter præmittemus de differentia *Legu & Evangelij.* item de *Libertate Christiana*, ex quorum prava expositione errores hæreticorum nascuntur. Itaque Evangelium duobus modis sumitur. 1. pro doctrina, quam Christus & Apostoli prædicarunt, & in Nova testamento continetur. 2. pro gratia Novi Testamenti, quæ & *Lex Scripta in corde, & Spiritus vivificans, & lex Fidei* dici solet, quantumvis nomen Evangelij in Scriptura nunquam accipi videatur, nisi priore modo, hoc est, pro doctrinâ. Unde in Evangelio non minus quàm in Veteri Testamento continentur Leges propriè dictæ Math. 5. Comminationes, ibidem. Et Promissiones cum conditione obedientiæ Math. 19. v. 17. *si autem vñ ad vitam ingredi, serva mandata*; Et in quocunque statu obligatio Legum divinarum principaliter intenta fuit, ut medium aquirendæ, retinendæ, ac recuperandæ gratiæ & amicitie divini; sicut etiam eadem est ratio in quovis statu comminationum & terrorum.

II. Sectarij ex comunit consensu inter Legem & Evangelium hoc discrimen ponunt, quod illa proponat justitiam & salutem cum conditione totius legis implendæ: Istud verò promittat justitiam & salutem sine ulla conditione, sed absolute, vel cum solâ conditione Fidei. Hinc alterum deducunt discrimen, quod Lex terreat, Evangelium consoletur. Sed gravissimè hallucinantur, ut videre est apud Bellarminum. L. 4. de Justificat. c. 2. & satis ex dicendis constabit. Verum autem discrimen inter Legem & Evangelium est duplex. 1. quod Lex doctrinam inchoatam: Evangelium autem perfectam complectatur. Unde D. Thomas 1. 2. q. 107. & D. August. L. 6. de Civit. DEI c. 26. ajunt, Evangelium in Lege contineri, ut arborem infemine: Item Vetus Testamentum esse occultationem Novi: & hoc Novum Testamentum esse revelationem Veteris. 2. est, quod Lex per Moysen data sit, Evangelium verò per Christum, qui non tantum Legislator uti Moyses, sed & Redemptor fuit; unde Lex venit in doctrina sola; Evangelium insuper cum gratia, ut, qui illud acciperunt, non modò per doctrinam inter virtutes & vitia discernent, sed etiam per gratiam diligenter justitiam, atque odio haberent iniquita-

tem. Aliæ differentie sub utroque hoc discrimine involutæ videri possunt apud Bellarm. L. 4. de Justif. c. 4. Ex his aperte constat, usque adeo operum necessitatem ab Evangelio non removeri, ut eam potius ad Evangelium pertinere demonstratur.

III. Libertatem Christianam Adversarij in eo ponunt, ut nulli legi sint subiecti in conscientia ac coram Deo, Christumque habeant non pro Legislatore, sed pro Redemptore. Nos autem eandem ex Evangelio & Apostolicis litteris asserimus, tribus in rebus esse sitam. Nempe primò in libertate à peccato & morte, quæ ex peccato sequitur. Joan. 8. v. 36. *Si ergo Filius vos liberaverit, verè liberi eritis.* Secundò in libertate à jugo legis cæremonialis, & judicialis Hebræorum. Act. 15. v. 10. *Quid tentatis Deum, imponere jugum supra cervices, quod neque Patres nostri, neque Nos portare potuimus.* Tertio in libertate à dominatu legis naturalis seu divini, & moralis, quâ fit, ut lex nobis non dominetur tanquam servis imminens flagello, sed ut imperet liberis non adimendo legi vim obligandi, sed addendo hominibus charitatem illam libenter implendi juxta illud Apost. Joan. 6 v. 14. *Non enim sub lege estis, sed sub gratiâ.* Et 1. ad Timoth. 1. v. 9. *Lex justo non est posita*; quippe sub lege esse dicitur, qui à lege agitur ut servus: in lege verò est, qui secundum legem agit, ut liber. Videatur Bellarm. L. 4. cit. cap. 5. & 6. His promissis,



CONTROVERS. LVII.

AN DENTUR OPERA BONA meritoria in homino justificato?

Gratia Justificans non manet otiosa in homine, sed instar bonæ ac fecundæ seminis fructificat, idque efficit, ut opera hominis justificati fructum afferant in vitam æternam; quam gratiam ejusque effectum in tollendis penitus peccatis, quia negant hæretici, ipsa etiam opera bona ac meritoria inficiantur; unde iterum inter nos & ipsos surgunt graves fidei controversiæ in præsentia decidendæ.